DE PECULIARI

APUD FRATRES MINORES OBSERVANTES SYNDICORUM USU

DIATRIBA

AUCTORE

P. JEREMIA DE PADUA

Ordinis Minor. de Obſevant.

LECTORE JUBILATO.

In hac ſecunda Editione pluribus Additionibus, ac Animadverſionibus aucta, illuſtrata, corroborata, atque a cenſura cujuſdam Scriptoris Anonymi vindicata.

VENETIIS.

MDCCLX.

Excudebat ANGELUS PASINELLI,

SUPERIORUM PERMISSU.

APPROBATIONES THEOLOGORUM ORDINIS.

Reverendiſſimi P. Clementis de Panormo totius Ordinis S. Franciſci Miniſtri Generalis mandatis obſequens, accurate perlegi, graviqueque diſcuſſione examinavi Opus a P. Jeremia de Padua Lectore Jubilato elucubratum, cujus titulus eſt: *De peculiari apud Fratres Minores Obſervantes Syndicotum uſu &c.* Hoc opus mole licet parvum, re tamen, atque utilitate magnum multam meretur commendationem, ſive multiplicem, tum eccleſiaſticam, tum ſeraphicam eruditionem ſpectes, qua eſt refertum, ſive peculiares acutas, ac novas obſervationes, quibus paſſim inſpergitur, ſive rationum, argumentorumque copiam, ac firmitatem, qua roboratur. Verum duo præcipue in laudato Opere maxima commendatione digna obſervo; alterum, quod Auctor reſolutionem quæſtionis tam difficilis, tam amplæ, tamque implicatæ, ne dum ad probabilitatem, ſed etiam ad certitudinem, ut ipſemet in priori Præfatione pollicetur, in omnibus ſuis partibus, omnium primus evexit, multis ultro in contrarium datis, aliiſque adverſantium enerviter refutatis; alterum, quod in hoc Libro non ſolum nihil continetur, quod ſit contra Regulam, noſtras Leges, aut Pontificias Conſtitutiones, quin potius omnia his omnino conformia facilem, ac

tutam viam Fratribus parant providendi suis absque culpa necessitatibus per pecuniam, seque a perditionis periculo, in quo ob hanc causam versari possunt, liberandi. Quapropter hoc Opus dignum judico, ut in lucem edatur.

Ex Conventu S. Francisci Vineæ Venetiarum die 4. Maii An. 1760.

F. Joannes Carolus Alciatus Venetus
Lector Jubilatus.

EX mandato Reverendissimi P. Clementis a Panormo totius Ordinis S. Francisci Ministri Generalis attente legi Opus, cujus titulus est: *De peculiari apud Fratres Minores Observantes Syndicorum usu, Diatriba, Auctore P. Jeremia de Padua Ord. Min. de Obser. Lectore Jubilato*. Perdifficilem de istiusmodi usu quæstionem Auctor ipse facili, & clara methodo dirimit, suam affirmativam sententiam validissimis argumentis tuetur, eamdem esse certam apposite ostendit, & tutam proinde Fratribus parat viam, ut sine Regulæ præjudicio propriis necessitatibus consulere valeant. Accedit, Opus hoc mira eruditione, & summa diligentia esse conscriptum. Quæ cum ita sint, idem publici juris posse fieri deprehendo.

Ex Conventu S. Francisci a Vinea Venetiarum die 4. Maii an. 1760.

F. Joannes Franciscus a Venetiis
Lector Jubilatus. *Ap-*

Approbatio, & facultas Reverendissimi P. Ministri Generalis.

F. Clemens de Panormo Lector Jubilatus, Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, Visitator, ac Reformator Apostolicus, & Servus.

CUm Opus compositum a R. P. F. Jeremia de Padua nostræ Observantis Provinciæ S. Antonii Lectore Jubilato, cujus titulus est: *De peculiari apud Fratres Minores Observantes Syndicorum usu Diatriba*: a duobus P. P. Theologis, quibus id commisimus, revisum, & approbatum fuerit: vigore præsentium facultatem eidem concedimus, quatenus, servatis servandis, illud Typis mandare possit.

Datum Romæ ex Aracæli die 17. Maii 1760.
F. Clemens de Panormo Minister Generalis

De mandato Reverendissimi in Christo Patris
F. Vincentius Scutari Exdefinitor Generalis, & Secretarius Generalis Ordinis &c.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbazione del P. F. *Gio: Paolo Zapparella* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *De peculiari apud Fratres Minores Observantes Syndicorum usu Diatriba: in hac secunda Editione pluribus additionibus aucta. Auctore P. Jeremia de Padua MS.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza ad *Angelo Pasinelli* Stampator di Venezia, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 31. Luglio 1760.

(Angelo Contarini Proc. Ref.
(Bernardo Nani Ref.
Francesco Morosini 2. Cav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a carte 59. al Num. 37.
Giacomo Zuccato Segretario.

Addì 9. Agosto 1760.
Registrato nel Mag. Eccell. degli Esecutori contro la Bestemmia.
Gio. Pietro Dolfin segretario.

AD LECTOREM.

PErvulgata quorumdam ex nostris opinio est, peculiares Fratres pecuniam apud Syndicum extra commune Ærarium sine peccato habere, eaque per Syndicum in suas necessitates peculiari nomine uti non posse. Et quamquam hæc sententia universim ita intellecta contemnenda potius, quam ullo modo timenda, aut in pretio aliquo habenda est, & quia paucorum tantum, & quia præcipue eorum, quos non aut investigatio ut plurimum veritatis, aut ingenii vis, aut maturitas judicii, aut Studiorum exercitatio, sed *cacæ* duntaxat, ut Pontificis Maximi in re consimili verbis utar (*a*) *scrupulositatis ambiguum*, *ac quodammodo indocta scientia* ad ita sentiendum inducit; tamen ne quietis, ac in tuto positis Conscientiis scrupulus aliquis iniiciatur, inquietis vero, meticulosis, atque positis in ancipiti ut eximatur, sed potissimum in lucem ut veritas proferatur, eam libet speciali data opera pertractare. Sic autem tractabitur, opinor, a me contraria sententia, ut non modo efficiatur vere probabilis, quod satis superque esset ad Conscientiæ

* 4 quie-

(a) *Joann. XXII. Extravag. Quorundam exigit.*

quietem, atque securitatem, verum etiam ut certa existat, quod ad judicii pertinet firmitudinem: ex quo demum apparebit, quantum sentientes contra non solum absint a veritate, sed & de illis Legis Doctoribus esse, qui non intelligunt, ut ait Apostolus, (*a*) *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

(a) 1. *ad Timoth. cap.* 1. *v.* 7.

PRÆ-

PRÆFATIO ALTERA SECUNDÆ EDITIONIS.

EMersit nuper e prælo anonymi cujusdam Scriptoris Libellus adversus hanc Diatribam meam, cui titulus est: *De peculiari pecuniæ Fratrum Minorum Observantium apud Syndicos Deposito contra assertum P. Pithanophilum . Venetiis* 1750. *sub signum Divi Bassiani* , *Superiorum permissu* -

Quisnam hujus Libelli Auctor sit adhuc ignoratur, neque de illo ulterius investigare ad me, aut ad rem ipsam multum attinet. Nam utcumque ignoretur quisnam sit, qualis tamen, quantusque sit, a nemine, qui Opus ipsum diligenter legere, atque examinare maluerit, ignorari potest. Sed quisquis ille, qualisque sit, ei gratias habeo, quod Diatribam meam impugnaverit; ita enim fiet, ut acrius discussa veritas magis elucescat. Verum consultius ei fuisse videtur, si non severius, vel etiam audacius mecum egisset, sed modestius, sed benignius, sed humanius, memor Augustiniani illius: *diligite homines*, *interficite errores* : atque præsertim non ita facile plura adscripsisset dolo malo, quæ non a me malitiose, sed vel tantum perfunctorie, vel certe causa, aut ratione aliqua, vel etiam, si velit, oscitanter, vel ignoranter posita, aut subtracta, aut interpretata, aut conclusa, aut quomodolibet dicta

sunt.

sunt. Sed ne id quidem vitio ei omnino vertendum velim. Fecit enim æquo animo, fecit puro zelo, etsi aliquanto sane ferventiori, scilicet ingentem ut sententiæ meæ sibi visum errorem detegeret, ac prorsus exterminaret.

Et hæc quidem breviter tum de incognito Auctore, tum de illius scribendi ratione. Ad opus vero ipsum quod spectat, quid consilii capiendum est? Ut verum fatear, statim ac perlegi, continuo subiit animum purigo, quod in re litteraria usuvenire solet, stricto in illud calamo, dedita separatim opera confutare. Verum, ne id facere vellem, quidam viri docti, & amici, his potissimum rationibus hortati sunt.

Primum enim, ajebant, hoc modo agere minime convenit, ne aut Scriptori ipsi tum rerum, tum verborum non satis, ut videtur, in scribendo perito, tum ejus consequenter operi plus honoris, quam mereatur, tribui videretur.

Deinde, quoniam ille contra modestiæ, & charitatis leges me inhumanius, ac illiberalius insectatus est, si eidem peculiari responsione occurrendum esset, par pari, ut in communi parœmia est, fore referendum videretur: quod tamen per easdem sanctas leges nequaquam licet.

Tandem, præter hujuscemodi verba *Leges*, *Regulæ*, *Bullæ*, *Statuta* cum clamoribus sæpe repetita, indigestamque textuum plurimorum notissimorum farraginem, paucissima in toto Opuscu-

ſculo eſſe, quæ reſponſionem mererentur; nihil fere quod negotium faceſſat; multo plura ne ad rem quidem; denique quaſi omnia ejuſmodi eſſe, ut conſtitutis a me principiis facile, vel una adhibita diſtinctiuncula e principalis ipſius quæſtionis ſinu petita, ſubverti poſſint: unde non eſſe, cur ei ſpecialis, atque formata quædam confutatio deberetur. Quare, concludebant, conſultius eſſe, ſi neglecta peculiari Operis confutatione, Diatriba ipſa ſecundis curis recognita, hoc eſt ſuis majoribus diſtinctionibus, explicationibus, limitationibus, probationibus ubique aucta, & illuſtrata iterum ederetur, confutato inſimul, & identidem pro re nata cenſorio Libello pro ut opus eſſet. Ex eo etenim, inquiebant, quod ea nimis ſuccincta, nimiſque generalis eſt, potiſſimum fieri, ut a paucis ejus verus, ac genuinus ſenſus probe intelligatur, ideoque in aliquorum offenſionem incurrat. Quod totum profecto verum eſt.

His ego plane rationibus permotus, doctis amicis libenter parui, eorumque optimum conſilium ſecutus ſum.

Ecce igitur tibi, Lector, Diatriba mea in hac ſecunda Editione, quoad opus eſt, magis aucta, ac dilucidata, ſimulque ab hujus Scriptoris cenſura ſuis locis vindicata: de qua te ſpecialiter admonitum volo trium, quæ in priori Editione miſſa ſunt.

Scito itaque in primis, me illam non malo, aut

aut finiſtro fine aliquo edidiſſe, ſicuti nonnulli ſuſpicati ſunt, peculiariter vero minime eo animo, ut Fratribus in obſervatione capitalis de pecunia præcepti habenæ laxarentur, ſed contra potius ut pro temporum conditione, ac varietate arctarentur, utque eorum conſcientiis, Ordinis bono, nec non eccleſiaſticis de Vita communi ordinationibus quoquo modo conſuleretur: quod ex iis, quæ in corollariis deduximus, atque alibi ſparſim diximus, adeo manifeſtum eſt, ut mirum ſit reperiri aliquem, qui de fine, atque intentione noſtra dubitare poſſit.

Præterea ſcito præcipue, multa idcirco a me fuiſſe potius ſuppoſita quam probata, multa leviter tantum indicata, vel explicata, multa etiam omnino prætermiſſa, quod ea in opere tam parvo, ac pro Fratribus rerum ſuarum, ut credere par eſt, apprime gnaris peculiariter conſcripto ſupervacanea judicata ſunt. Nunc igitur huic per me incommodo ſatis, ſuperque occurretur. Nam plura clarius, ac diſtinctius explico, nec non amplioribus limitationibus coerceo, monumenta, ut Cenſoris criminationibus occurram, pleniora produco, plura addo fortius probantia, nonnulla adverſa firmius ſolvo, nonnulla muto, nonnulla etiam omnino demo (intacta tamen, & immutata principalis ſententiæ ſubſtantia) pro ut res poſtulare videtur, ut ſuis locis videre licet; adiecta identidem confutatione eorum, quæ in Ad-

ver-

verſarii Libello digna conſideratione aliqua viſa ſunt. Itaque ſpero, ut opella hæc mea hiſce novis ſubſidiis munita iterum prodiens in lucem, non ſolum ſine alicujus offenſione, verum etiam cum plurium approbatione recipi poſſit. Inde etenim quiſque comperire poterit, me non docere niſi vera, & communia, quæque etiam viri probi ad praxim deducere ſolent, ac poſſunt.

Quod eſt denique ad quæſtiunculas in calce poſitas, undecim ſcito a me ideo fuiſſe inſtitutas, ut vis principiorum, quibus uſus ſum, facilius, ac penitius introſpici poſſet; univerſalia enim particularibus applicata melius cognoſcuntur; reliquas vero ideo ut ſpirituales Fratres idiotæ edocti in quo ſanctitudo vera conſiſtat, non apparentem, aut levem, ſed realem, ac ſolidam ſequerentur. In quibus ego ea tantum dixi, quæ ab Aſcetis de virorum ſpiritualium defectibus paſſim dicuntur; neque quemquam nominavi, aut indigitavi, ut propterea Ciceronis verba (pro Lege Manilia) uſurpare merito poſſim: *Ego neminem nomino, quare nemo iraſci mihi poterit, niſi qui de ſe antea voluerit confiteri.* Nunc igitur, ut quibuſdam ſaltem nonnullas ex iis ſublatas cupientibus fiat ſatis, eæ tantummodo afferuntur, quæ uſui in rem præſentem magis futuræ viſæ ſunt.

Tu itaque his omnibus, Lector, fruere ſi lubet, ac vale.

MO-

MONITA AD LECTOREM.

HÆc secunda Editio multis abhinc annis jam adornata, atque prælo parata erat, hoc est statim, postquam Censor Anonymus, de quo in secunda Præfatione dixi, contra me scripserat, sed varias ob causas, quas non refert commemorare, usque in præsens dilata est.

Interea temporis ad manus venerunt Opuscula duo, nempe *Dissertatio Canonica de Vita Communi P. Baudini ex* Ord. Eremitar. S. Aug. Theologi (*a*), in qua *peculium* pro Regularibus universim licitum propugnat ubi non viret hujusmodi Vita: & *La Regola de' Frati Minori esposta praticamente* (b) *ec.* P. Gabrielis Angeli a Vincentia Reformati, in qua *peculium* pro omnibus, sed præcipue pro Minoribus improbat. Ex his nonnulla desumsimus in rem nostram opportuna. Et quidem in primo pleraque eadem invenimus, quæ nos ipsi jam antea tradideramus.

Etsi *Diatribæ* nomen, quod huic Operi in priori Editione ob molis parvitatem præfixum erat, minus nunc ei congruere videtur ob illius crescentem pro medietate magnitudinem, ne qua tamen in Operis fronte mutatio fieret, idem nomen etiam in hac secunda Editione retentum est.

Jam doctis notum est bellum, quod de Regu-

la-

(a) *Coloniæ apud Stephanum Lenti 1695.*

(b) *Venezia appresso Modesto Fenzo 1758.*

larium *peculio* actum est tum inter Vanespenium, & Patres Augustinianos in Belgio, ut videre licet Parte IV. Operum illius; tum nostris temporibus inter P. Concina, & suos Confratres P.P. Millante, & Carattini, ut pariter ex notis eorum Operibus liquet.

Quoniam in hoc Opere multo plura, non ad necessitatem, sed tum ad abundantiam, ac eruditionem, tum ad Anonymi, ut in secunda Præfatione diximus, confutationem dicta sunt, idcirco qui non vult cum tædio integrum Opus percurrere, & totius nihilo minus avet controversiæ substantiam cognoscere, potest compendio uti in hunc modum. Itaque primum legat quæstionis Casum propositum pag. 158. una cum sequenti ejus Analysi, in qua omnes peculiares quæstiones, quæ principem circumstant, & ingrediuntur, ordine expositæ reperiuntur: tum legat eas Suppositiones, aut Conclusiones inibi allegatas, in quibus illæ quæstiones, quas recognoscere cupit, resolutæ sunt; & ita breviter quæ desiderat inveniet. Et quidem Conclusione generali VII. pag. 265. reperiet probatum generatim licitum *peculium*, ubi de facto non viget Communis vita: Concluf. I. pag. 166., & Concluf. III. pag. 132. probatum licitum speciatim ex vi Regulæ: Concluf. IV. pag. 243., & Concluf. V. pag. ead. ex vi voti paupertatis, & ecclesiastici præcepti. Suppositione autem XIX. probatum inveniet, quæ-

nam

nam sit *necessitatis* natura, & qualitas pro quâ ad *peculium* recursus fieri potest: Conclus. VIII. & IX. pag. 270. simul cum Suppos. XXII. XXIII. pag. 153. quæ *licentia* ad hunc recursum absolute, ac per se sufficere possit: tandem Concl. II. pag. 178. demonstratum reperiet, omnes *conditiones*, seu *arctationes* præscriptas in suis Decretalibus a Nicolao III. & Clem. V. circa recursum ad pecuniam esse pro Minoribus sublatas, ideoque non obligare; idque potissimum ex doctrina quadam Benedicti XIV. pag. 188. Quin adhuc brevius. Legat in Historia N. XI. adnot. 2. & 3., seu n. 2. & 3. pag. 45. & N. XXIII. pag. 58. & seq. cum suis adnot. sed præcipue §. *Pariter huc* usque ad notationes, una cum Resp. ad Arg. contra Conclus. V. præsertim pag. 256. & *peculium* apud Syndicum pro Fr. Minoribus non esse contra eorum Regulam (consequenter neque contra Votum paupertatis juxta illam emissum) a Clem. VII. pro omnibus vero, & universim permissum, & concessum, tum a Clem. VIII. tum ab eodem Bened. XIV. (ideoque illud non obstare voto, aut ecclesiastico præcepto) ita clare probatum inveniet, ut hac de re amplius dubitari non posse videatur.

QUÆ-

QUÆSTIO.

AN liceat Fratri minori particulari habere, ac tenere pecuniam apud Syndicum Conventui minime incorporatam, ſed a communi Depoſito ſeparatam; & ad eam recurrere pro ſuis neceſſitatibus?

Quod hujuſce quæſtionis intelligentia ad ſolam Regulæ obligationem ſit reſtringenda ita, ut ad alias non niſi inſipienter transferri debeat, ac poſſit, ſtatim initio ex ipſis quæſtionis verbis manifeſtum eſt. Cum enim habere hujuſmodi Syndicos, & apud illos pecuniam tenere ſolius noſtræ Regulæ proprium ſit, etiam quæſtio ipſa de tenendæ hujus pecuniæ ratione ſolius ejuſdem Regulæ propria eſt; ideoque eam aliter intelligere quam, ut Dialectici dicunt, in *ſubjecta* materia, aut alio transferre quam in *ſubjectam*, procul dubio deſipere eſt. Sed quoniam peculii uſus Regularibus per ſe omnibus ex alio duplici capite, nempe ex Paupertatis Voto, & ex Eccleſiæ Præcepto de Vita Communi, ut omnes norunt, graviter interdictus eſſe poteſt, idcirco quæſtionis intelligentia, ut & nihil in ea obligationis relinquatur, utque undequaque penitus exhauriatur, etiam ad hæc duo alia capita extendenda eſt. Quare propoſitæ quæſtionis ſic neceſſario in tria capita diſpertitæ efficiuntur quæſtiones omnino tres.

1. An liceat Fratri Minori habere pecuniam eo modo *ex vi Regulæ*? qua quæſtione proinde reſoluta, res princeps confecta eſt.

2. An etiam *ex vi Voti Paupertatis?*

3. An etiam *ex vi Eccleſiaſtici Præcepti de Vita Communi?*

Ita universa hac re funditus ex qualibet parte pertractata, nihil, ut diximus, ad necessariam hujus obligationem pertinens intactum remanebit.

Hæ autem quæstiones exacte, ut patet, resolvi non possunt, nisi multa de Paupertatis Voto, de Vitæ Communis Præcepto, & præsertim de Regulæ obligatione circa recursum ad pecuniam præmittantur: in quo tria maxime distinctius præcognoscenda sunt, nempe *quæ sit Syndicorum institutio, eorumque usus*: *qui ad pecuniam possint recurrere*: *& cujusmodi esse debeat necessitas requisita ad recursum*: qua potissimum re præsentis controversiæ summa continetur, ut suo loco planum fiet.

Porro quæ de his præsertim recursus capitibus, tum quæ de Vita Communi prænoscenda sunt, ea principio veluti historice afferemus: cætera quibusdam Definitionibus, atque Suppositionibus concludentur; tota denique controversia ipsa, adjectis ad hæc etiam nonnullis Conclusionibus, de Scholæ more absolvetur. Certa autem vel in se, vel apud nostros, aliosve Doctores duntaxat afferentur, ut sententia nostra non modo vere probabilis, sed etiam certa, ut in Præfatione promisimus, effici possit.

Ad primam igitur questionem quod attinet, jam notum est gravissimum Regulæ de abdicatione, atque usu pecuniæ præceptum. In hoc præ cæteris plures Pontifices in suis Declarationibus specialius, diligentius, ac profundius versati sunt. Etenim quamplures Pontificiæ Regulæ Declarationes eam vel ex toto, vel ex parte explicantes emanatæ sunt, ut notum est; sed nos illas tantum ordine afferemus, in quibus universim de re presenti sermo est, ex eisdem ea solum assumentes, quæ ad vim causæ maxime faciunt: quibus etiam, ut Pontificum mens clarius, atque facilius Lectoribus innotescat, opportunas identidem animadversiones adjungemus.

I. Pri-

I. Primus itaque est Greg. IX. Constit. *Quo elongati a sæculo* an. 1230. Pontific. 4. Relig. 21., incipiendo ab an. 1209., quo S. Franciscus cum Sociis in manibus Innoc. III. professionem emisit. In hac Constit. in hanc rem sequentia sunt.

„ Item cum in eadem Regula sit inhibitum, ne Fra-
„ tres recipiant per se.... certiorari requirunt, si ali-
„ quibus timentibus Deum fideles aliquos, per quos
„ ipsi subveniant *necessitatibus* eorumdem, sine offensio-
„ ne Regulæ audeant præsentaræ, ac ad fideles eosdem
„ pro *necessitatibus* ipsis secura recurrere conscientia,
„ cum denarios, vel pecuniam noverint accepisse, quos
„ tamen denarios, vel pecuniam auctoritate propria
„ non intendunt facere conservari, nec nomine Depo-
„ siti exigere ab Eisdem. Super quo duximus respon-
„ dendum, quod si rem *necessariam* velint Fratres eme-
„ re, vel solutionem facere pro jam empta, possint
„ vel nuntium Ejus, a quo res emitur, vel aliquam
„ alium volentibus sibi eleemosynam facere (nisi iidem
„ per se, vel proprios nuntios maluerint) præsentare.
„ Qui taliter præsentatus a Fratribus non est eorum
„ nuntius licet præsentetur ab ipsis, sed illius potius,
„ cujus mandato solutionem fecit, seu recipientis eam-
„ dem. Idem nuntius solvere statim debet, ita quod
„ nihil de pecunia remaneat penes ipsum. Si vero pro
„ aliis *imminentibus necessitatibus* præsentetur, eleemo-
„ synam sibi commissam potest sicut & dominus apud
„ Spiritualem Amicum Fratrum deponere, per ipsum
„ loco, & tempore pro ipsorum ejusmodi *necessitatibus*
„ sicut expedire viderit, dispensandam. Ad quem et-
„ iam Fratres pro hujusmodi *necessitatibus* poterunt ha-
„ bere recursum, maxime si negligens fuerit, vel *ne-*
„ *cessitates* ignoraverit eorundem.

Bulla extat apud Wading. Tom. I. Annual. pag. 423.

Jam vero super hac Gregorii Declaratione plura notanda sunt.

1. Nullam hic fieri mentionem de Syndicis, sed de solis obviis, atque indeterminatis Amicis Spiritualibus; quia Syndici nondum erant instituti.

2. Pontificem uti puro, ac solo vocabulo *rem necessariam*, *necessitates*, & addere vocem illam *imminentes*.

3. Non distinguere in recursu ad pecuniam Fratres Superiores a Subditis, ac peculiaribus, sed generatim, & promiscue loqui de utrisque, forte eo quod tum jam persuasum erat, Superiores Subditis ad hunc recursum facultatem concedere posse, quodque jam usu receptum erat, ut concederent.

4. Posse Fratres quemlibet (nolentibus dominis vel per se, vel per alios a se deputatos id facere) præsentare, per quem pecunia recipiatur, & expendatur; neque tamen præsentatum hujusmodi fore nuntium Fratrum, seu interpositam personam, sed ejus, cujus mandato fit solutio pecuniæ, seu recipientis eamdem. Cujus ratio procul dubio est, quia Fratres non intendunt facere conservare pecuniam propria auctoritate, neque illam nomine Depositi exigere, uti supra vel ab ipsomet Supremo Antistite exprimitur.

5. Denique si necessitas sit *præsens*, vel *præterita*, cui satisfaciendum sit, nihil pecuniæ remanere debere penes præsentatum; secus posse, si aliæ necessitates *imminentes* sint. Itaque hic Pontifex primus est qui ponit conditionem de necessitate *præterita*, *præsenti*, vel *imminenti*, eaque supposita affirmat ad pecuniam modo explicato recurri posse.

II. Secundus Innoc. IV. Constit. *Ordinem* vestrum an. 1245. Pontif. 3. Relig. 36.

„ Et licet in eadem Regula sit prohibitum, ne Fra-
„ tres .... possunt tamen, si rem sibi *necessariam*, vel

uti-

„ *utilem* velint emere vel solutionem facere ..... *Hic* „ *repetit eadem Gregor. verba usque ad illa* recipientis „ eundem . *Postea sequitur* . Et ad ipsum (si soluto „ emptæ rei pretio de hujusmodi eleemosyna rema- „ neat aliquid apud eum) possunt etiam Fratres pro „ suis *necessitatibus*, *vel commodis* licite habere recursum. „ Si vero pro aliis Fratrum *necessitatibus aut commodis* „ nominetur aliquis, vel præsentetur ab eis potest ille „ commissam sibi eleemosynam sicut dominus conservare, „ vel apud Spiritualem, vel familiarem Amicum Fratrum, „ nominatum, vel non nominatumab ipsis deponere, per „ eum loco, & tempore pro ipsorum *necessitatibus*, *vel* „ *commodis*; *sicut Fratres expedire viderint* , dispensan- „ dam, seu etiam ad personam, vel alia loca transfe- „ rendam . Adquos etiam Fratres pro hujusmodi *ne-* „ *cessitatibus seu commodis* sana conscientia recurrere po- „ terunt, maxime si negligentes fuerint , vel *necessita-* „ *tes*, *aut incommoda* ignoraverint eorundem. Et taliter „ præsentati , vel nominati a Fratribus non sunt eo- „ rum nuntii, vel depositarii, sed illorum , a quibus „ eis pecunia, vel denarii committuntur; nec Fratres „ per se, vel per interpositas personas denarios , vel „ pecuniam recipiunt nominando, vel præsentando sic „ aliquos, seu ad hujusmodi nominatos, vel præsenta- „ tos taliter recurrendo , cum non sit intentionis eo- „ rum, ut de ipsorum auctoritate hujusmodi denarii, „ vel pecunia conserventur , aut ab eis nomine Depo- „ siti exigantur, licet nuntiis , vel depositariis ipsis „ committantur pro *necessitate*, *vel commodo* eorumdem.

„ Et cum in dicta Regula subjungatur , quod *pro* „ *necessitatibus infirmorum Ministri tantum* , *& Custodes* „ ...... debent alii Fratres curam hujusmodi , quæ „ præfatis Ministris, & Custodibus ex Regula *præcipue* „ incumbit, cum sibi ab illis commissa fuerit , gere- „ re diligenter . „.

Declarationis, Gregorium *aliqua ex eis* expoſuiſſe, ac declaraſſe *ſemiplene*, ſe vero *obſcuritatem ab illis perfectæ interpretationis declaratione omnino amovere velle*, *& ambiguitatis ſcrupulum circa ipſa de* Fratrum *cordibus plenioris expoſitionis certitudine penitus amputare*. Inter autem hæc dubia maxime locum habere ea, quæ ad *recurſus*, atque *neceſſitatis* rationem pertinent, Bullarum ipſarum ſuperius exarata verba inter ſe conferenti perſpicuum eſt. Itaque Innocentiana, & Alexandrina Declarationes etiam quoad hoc clariores, pleniores, certiores Gregoriana Declaratione ſunt.

2. Quæ in his Bullis ſtatuuntur non eſſe *Privilegia*, aut Regulæ *Relaxationes*, *Indulta*, *Diſpenſationes*, ſed puras putas ejuſdem Regulæ *Expoſitiones*, *Interpretationes*, *Extenſiones*, *Ampliationes*. Quod primum liquet ex ſupradictis verbis: tum ex eo, quod nullum verbum expreſſivum alicujus *Privilegii*, *aut Relaxationis*, *Diſpenſationis*, *Indulti* in illis reperitur; ſed potius contra verba tantum expreſſiva *Expoſitionis*, atque *Declarationis*, cujuſmodi ſunt *dicimus*, *declaramus ducimus* reperiuntur.

Ex his duabus obſervationibus conficitur, quod ſi hæ Conſtitutiones cum Gregoriana conferantur, illæ utpote poſteriores, clariores, & pleniores iſti utpote priori, diminutiori, & obſcuriori anteponendæ ſunt. Has duas animadverſiones peculiariter attendat Lector, & mente retineat.

3. Neque in iſtis Declarationibus fieri mentionem de Syndicis. Cujus, ſi intelligas de Innoc., cauſa in promtu eſt; nondum enim fuerant inſtituti, ut liquet ex Brevi ſupra laudato, quod duobus annis poſt eam Bullam datum eſt. Si vero de Alexandrina decem annis poſt Breve illud emanata, cauſa forte eſſe poteſt, vel quia intra id tempus nondum fuerat executioni mandatum; vel, quod veroſimilius videtur, quia non

fuerat universim receptum, propterea quod creditum fuerit, illud pugnare cum Regulæ puritate, ut similiter factum infra videbimus erga Martinianam Constitutionem.

4. Sindicorum institutionem (quæ prima in Ordine nostro est) in eo Brevi concessam extendi solum ad distractionem, commutationemque rerum Ordini concessarum, vel concedendarum, minime ad receptionem, & expensionem pecuniæ cujuscumque.

5. Etiam has Constitutiones promiscue primum loqui de Fratribus tam superioribus, quam peculiaribus, ac subditis, neque in illis fieri discretionem illorum ab istis, ob rationem, opinor, in notis Gregorianis jam assignatam num. 3. deinde tamen clare affirmari, curam recursus Ministris, & Custodibus ex Regula præcipue incumbere; hos attamen etiam aliis Fratribus committere posse: cumque committitur, & quibus committitur, ab iis gerendum esse diligenter.

6. Posse præsentatum a Fratribus retinere penes se etiam id pecuniæ quod, facta solutione rei emptæ pro *præterita*, aut *præsenti necessitate*, forte remansit, ad eumque Fratres etiam pro consumptione illius residuæ pecuniæ universim pro aliis *necessitatibus* recurrere nihilominus posse: quod Gregorianæ dispositioni adversari videtur.

7. Hujusmodi nominatum, vel præsentatum a Fratribus posse pecuniam vel apud se, ut dominus conservare, vel deponere apud amicum aliquem Spiritualem, etiam Fratrum familiarem ab eis nominatum, vel non nominatuu, & ad hunc quoque posse Fratres recurrere: quæ in Gregoriana declaratione desiderantur. Verbo quod ad personarum substitutionem attinet, dispositiones Innocentianam, & Alexandrinam multo ampliores Gregoriana esse.

8. Cur Fratres in hujusmodi personarum nominatione,

ne, præsentatione, recursu non maculentur, rationem hanc in his Bullis assignari expressius, quam in Gregoriana, unicam & universam, quod nempe totum hoc negotium semper, non ipsorum Fratrum, sed principalis Amici Spiritualis auctoritate, & intentione, quamquam Fratrum commoditate, fiat.

9. Pontifices istos voci *necessitatis* nullo loco addidisse vocem *imminentis*, sicut Gregorius fecit, neque ullam aliam consimilem sed sola generali voce *necessitatis* contentos fuisse. Itaque sic Pontifices in recursu ad pecuniam nullam rationem habuerunt illius conditionis de necessitate *præterita*, *præsenti*, *vel imminenti*, ut Gregorius habuit, sed solum generatim de *necessitate*, seu *commoditate* (ut ex num. sequenti); ac propterea eam vocem *imminentis* advertenter, consulto, delibarate omiserunt. Quod magis adhuc elicitur evidenter ex eo, quod iisdem omnino Gregorii verbis ubique usi sunt, neque propria addiderunt, nisi ubi Gregorianam declarationem magis explicatam, aut ampliatam voluere. Unde etiam ipsi dixerunt; *si vero pro aliis necessitatibus &c.*, sicut Greg. dixit, sed tamen eodem ipso in loco, ubi hic vocem *imminentibus* scienter, & consulto addidit, illi contra eam vocem sustulerunt, atque solam vocem *necessitatibus* reliquerunt.

10. Quinimmo ad voces *res necessaria* & *necessitates*, quibus Greg. tantummodo usus est, adjecisse voces, *utilis commoda*, idque non semel, aut iterum, sed quinquies fecisse; ad hæc etiam vocem *incommoda* iisdem contraposuisse. Quod certissimo argumento est, eos non sorte, aut temere, sed consilio, de industria, de certa scientia, voluntate, ac deliberatione apposuisse, nempe a se ut aperte significatum ostenderent, nomen *necessitatis* in Regula non esse sumendum *strictæ* pro mera *necessitate*, sed *latius* etiam pro *utilitate*, *commoditate*. Itaque de istorum Pontificum mente, ac intentione

tione hæ voces *necessitas*, *commoditas*; *necessarium*, *utile*, *commodum* in Regula S. Francisci fere Synonymæ sunt, eamdemque præ se ferunt rei notionem, atque significationem: ideoque Fratres recurrere pro pecunia ad Spirituales Amicos possunt non solum pro *strictis necessitatibus*, sed etiam pro *largis*, nempe pro *utilitatibus*, *commoditatibus*, iisque etiam non *imminentibus*. Porro quod hæc omnia non ad Regulæ ipsius *privilegia*, aut *relaxationes* referri debeant, sed ad ejusdem *expositiones*, *declarationes*, *extensiones*, ex iis, quæ nu. 2. observavimus, manifestum est. Quod etiam magis confirmatur ex vi illarum particularum *vel*, *aut*, *seu*, quæ in his Bullis usurpantur. Nam sive eas accipias in significatione *explicativa*, sive *disjunctiva* perinde est, cum semper consequatur, nomina *necessitatis*, *utilitatis*, *commoditatis* fere pro eodem sumenda esse, ut spaculanti liquet.

11. Tandem posse Fratras ad Spirituales Amicos pro *necessitatibus* hujusmodi recurrere etiam ut *ipsi* (nempe vel Superiores, vel subditi de illorum commissione, ut suo loco specialius ostendetur, prudenter *viderint expedire*: quod perinde est ac dicere, judicium ipsum de his *necessitatibus*, *utilitatibus*, *commoditatibus* etiam peculiarium Fratrum prudentiæ quando & quo modo alias affirmabimus), relinqui posse; quod adhuc majus esse patet.

Has tres ultimas observationes quæso ut Lector magis adhuc diligenter attendat, atque tenacius memoria retineat, quia in his præsentis controversiæ summa continetur, quemadmodum suo loco apparebit.

At enim, inquis, Innocentiana Declaratio in Capitulo Generali Narbonensi an. 1260. sub Sancto Bonaventura Generali, annuente Sommo Pontifice Alex. IV., suspensa est, ac preceptum omnibus, ne quis ea uteretur: unde ex ista Declaratione nihil in rem præsen-

ſentem favorabile deſumi poteſt. Vide, Lector, me omnino ingenue agere, nihilque ſententiæ a me ſtabiliendæ quoquo modo adverſum diſſimulare.

Sane ita eſt, quemadmodum habent Acta illius Capituli apud Auctorem Chronologiæ Hiſtor. Legal. pagin. 26.

Sed primum ea fuit, Pontifice connivente, equidem ſuſpenſa, non tamen ab ipſo revocata, aut retractata. Deinde fuit quidem mandatum, ne quis ea uteretur, non tamen in omnibus, ſed in iis ſolum, in quibus Gregorianæ Declarationi contradicit. Ajunt enim Acta ipſa. Secundo, inquit Capitulum, *fuit ordinatum*, *quod annuente Pontifice*, (nimirum Alex. IV. uti diximus) *Declaratio Innoc. Papæ maneret ſuſpenſa*; *& præceptum eſt omnibus*, *ne quis uteretur ea in iis*, *in quibus Expoſitioni Domini Greg. contradicit*. Ea autem, in quibus Innocentiana Expoſitio proprie contradicit, tria præſertim Regulæ capita ſunt, nempe 1. de examine, atque approbatione Prædicatorum per ſolum Generalem; 2. de receptione venientium ad Ordinem per ſolos Miniſtros Provinciales; 3. de ingreſſu in Monaſteria Monialium. Confer tu ipſe Lector ſis has Declarationes, & id ita eſſe ipſiſmet oculis perſpicies. Etenim in iis, quæ in ſuperioribus obſervationibus de ratione *neceſſitatis &c.* deduximus, etſi videri in aliquo, & aliquibus contradictiones poſſunt, nullæ tamen, & nuſquam veræ, & propriæ contradictiones ſunt; ſunt enim majores *declarationes*, *interpretationes*, ſunt *extenſiones*, *ampliationes*, ſicuti ſupra oſtendimus notatione 2.

Præterea. Sit ſuſpenſa ea Conſtitutio, ſit etiam revocata, ſit etiam ejus uſus interdictus in omnibus ut lubet. Nunquid ejuſdem Pontificis Breve, quod ſuperius retulimus, ſuſpenſum, revocatum, interdictum etiam eſt? Numquid etiam ipſa Declaratio Alexandrina,

an-

annuente ipsomet Alex. IV., suspensa, revocata, interdicta? At in ista Declaratione omnia, quæ in Expositione Innoc. extant, ad verbum reperiuntur: & in illo Brevi inveniuntur præsertim ea verba *pro necessitatibus, vel commodis*; & *sicut vobis videbitur expedire*; insuper vox illa *imminens* advertenter, & consulto omittitur &c., eo modo, quo nota 2. diximus: quibus omnibus quæstionis summam maxime affirmavimus contineri. Quapropter ea suspensione nobis opposita non obstante, omnia, quæ ex his Innocen., & Alex. monumentis in rem nostram collegimus, subsistunt, nempe & Breve Innoc. & Declaratio Alex. IV. subsistit, quæ est eadem ac Innoc.

Demum quæ Innocen. in sua Declaratione posuit, Alex. vero in sua ad verbum pariter confirmavit, de ratione potissimum *necessitatis* ut supra (de qua adhuc distinctius, ac fusius locis suis) plane conformari cum iis, quæ postea a compluribus aliis Pontificibus, etiam post strictiores Nicolai III., & Clem. V. Declarationes, tradita similiter eadem de re deinceps fere ad usque nostra tempora sunt; quin hanc eamdem esse Concilii Tridentini, hoc est totius Ecelesiæ doctrinam suis locis apparebit; ut innotescat, nihil esse in istis Innoc., & Alex. Declarationibus ex illis, quæ in rem præsentem deduximus, quod tanquam minus conforme veritati reiici, aut tanquam incertum in dubium a quopiam verti possit.

IV. Quartus Nicolaus III. *Exiit qui seminat*. an. 1279. Pontif. 2. Relig. 70. In hac Declaratione quæ controversiæ præsenti usui puomodolibet esse possunt, sequentia habentur.

„ ff. *Nec quicquam* .... Quinimmo necessariarum re-
„ rum tam ad vitæ sustentationem, quam ad officio-
„ rum sui status executionem (excepto quod de pecu-
„ nia infra subjungitur) moderatus usus secundum eo-

„ rum

„ rum Regolam, & veritatem omnimodam conceſſus
„ eſt Fratribus: quibus rebus Fratres licite uti poſ-
„ ſunt, durante concedentis licentia, & juxta id,
„ quod in præſenti ſerie continetur.

„ ff. *Inſuper*. Inſuper nec utenſilia, nec alia præter
„ eorum uſum ad neceſſitatem, & officiorum ſui ſta-
„ tus executionem (non enim omnium rerum uſum
„ habere debent, ut dictum eſt) ad ullam ſuperflui-
„ tatem, divitias, ſeu copiam, quæ deroget pauperta-
„ ti, vel ad theſaurizationem, vel eo animo, ut ea
„ diſtrahant, vendant, recipiant, nec ſub colore pro-
„ videntiæ in futurum, nec alia occaſione; quinimmo
„ appareat in eis quoad dominium omnimoda abdica-
„ tio, & in uſu neceſſitas. Hoc autem ſecundum exi-
„ gentiam perſonarum, & locorum Miniſtri, & Cu-
„ ſtodes ſimul, & ſeparatim in ſuis Adminiſtrationi-
„ bus, & Cuſtodiis cum diſcrezione diſponant, cum
„ de talibus interdum perſonarum qualitas, temporum
„ varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ cir-
„ cumſtantiæ plus, minuſve, ac aliter provideri re-
„ quirant. Iſta tamen ſic faciant, quod ſemper in eis,
„ & eorum actibus paupertas ſancta reluceat, pro ut
„ ipſis ex eorum Regula invenitur indicta.

ff. *Cæterum*. Poſtquam dixit Fratres debere a mu-
„ tuis contrahendis abſtinere, ſubdit: *poſſint tamen* ip-
„ ſis (nempe ſpiritualibus Amicis) *pro* ſatisfactione
facienda .... *pro eorum neceſſitatibus*, *quæ pro tempore occurrerint* (*ceſſantibus eleemoſynis*, *de quibus ſatisfieri commode tunc non poſſet*) ..... ſcilicet aſtruit, poſſe
Fratres Spiritualibus Amicis dicere, quod per alias e-
leemoſynas curabunt illis ſatisfacere pro ſolutione pe-
cuniæ, quæ ab eiſdem, ceſſante alia pecunia, pro ne-
ceſſitate facta eſt.

„ ff. *Et quia*. Et quia oportet, & expedit Fratrum
„ neceſſitatibus, non ſolum illis, pro quibus jam eſ-

„ ſet

„ ſet ſolutio, ſeu ſatisfactio facienda (ut ſuperius pro-
„ xime dictum eſt), ſed etiam imminentibus (*ſupra*
„ *loquebatur de neceſſitate veluti præterita, vel præſen-*
„ *ti, nunc loquitur tanquam de futura*) ſive tales ne-
„ ceſſitates ingruentes immineant, quæ brevi tempore
„ expediri valeant, ſive tales (licet parvæ comparati-
„ ve) quarum proviſio ex ſui conditione tractum tem-
„ poris habet (*has exemplificat*) ut in libris, *inquit*,
„ ſcribendis, Ædificiis conſtruendis, Libris, & pannis
„ remote emendis, & aliis ſimilibus, ſi quæ occurre-
„ rint, cum moderamine prædicto ſalubriter provideri.

„ Sic in iſtis neceſſitatibus clare diſtinguimus; ſic
„ in eis Fratres poſſe tute, & ſalva conſcientia pro-
„ cedere declaramus, videlicet ut ingruenti, vel im-
„ minenti neceſſitate, quæ brevi tempore, vel quæ
„ interdum ex aliquibus circumſtantiis non ſic brevi
„ (ut ſupra in proximo caſu dictum eſt) valeat expe-
„ diri, tam quo ad Dantem eleemoſynam, quam quoad
„ nominatum, vel ſubſtitutum, in omnibus, & per
„ omnia (ſicut in articulo ſolutiois pro neceſſitati-
„ bus præteritis faciendæ ſupra proxime declaravimus)
„ procedatur.

„ In ea vero neceſſitate quantumcumque præſentia-
„ liter ingruenti, quæ tamen ex qualitate ſui (ut præ-
„ dicitur) tractum temporis habet annexum, quia in
„ eo caſu veriſimile eſt, quod tum ratione diſtantiæ
„ locorum &c.... (*hic inſinuat modum, quem obſer-*
„ *vari oporteat, cum pecunia per diverſas manus, &*
„ *perſonas tranſire debet*): declaramus, *inquit*, & di-
„ cimus, quod in hoc articulos præter dictos duos mo-
„ dos in neceſſitatibus præteritis & ingruentibus, quæ
„ poſſint brevi tempore, vel interdum non brevi, ut
„ ſupra exprimitur, expediri, ut prædiximus, obſervandos,
„ ad obſervandam ipſius Regulæ, ac profeſſorum ejus om-
„ nimodo puritatem; quod ſi præſto ſit eleemoſyne e-

lar-

„ largitor, vel ejus nuntius, qui possit hoc facere, & „ velit, expresse illi prædicatur a Fratribus, quod si- „ bi placet, ut (domino talis pecuniæ cum libera po- „ testate revocandi...., penes ipsum semper usque ad „ conversionem ipsius in rem deputatam libere rema- „ nente, ut in aliis duobus casibus supra dictum est) „ per quorumcumque manus pecunia, seu eleemosyna „ tractetur, sive personas ab eo, vel a Fratribus no- „ minatas, totum suo consensu, voluntate, ac aucto- „ ritate procedat; quo assensum suum præbente præ- „ dictis, secure Fratres re empta, vel aquisita de illa „ pecunia per quemcumque (juxta modum annotatum „ superius) uti possint.

„ ff. *Ad majorem autem* declarat, *quod Fratres* (præ- „ fatis modis, ut prædicitur circa pecuniam in suppor- „ tandis eorum præteritis, & ingruentibus necessitati- „ bus observatis) non intelligantur, nec dici possint „ per se, nec per interpositam personam pecuniam re- „ cipere contra Regulam, vel professionis sui Ordinis „ puritatem; cum manifeste pateat ex præmissis, ipsos „ Fratres non solum a receptione, proprietate, domi- „ nio, sive usu pecuniæ, verum etiam a contrecta- „ tione qualibet ipsius, & ab ea pecunia penitus „ alienos.

„ In eo vero casu, quando (antequam ipsa pecu- „ nia in licitum rei habendæ vel utendæ commercium „ sit conversa) concedentem pecuniam mori contige- „ rit; si concedens in concedendo dixerit, vel expres- „ serit, quod persona deputata pecuniam ipsam in ne- „ cessarium usum Ftatrum expenderet: quidquid de „ ipso concedente vivendo, vel moriendo contingeret, „ sive concedens hujusmodi hæredem reliquerit, si- „ ve non; possint Fratres ad personam deputatam „ (non obstante concedentis morte, vel hæredis „ contradictione) pro ipsa pecunia expendenda re-

„ cur-

„ currere ſicut poterant ad ipſum dominum conceden-
„ tem.

„ ff. *Quia vero* .... cum in prædictis caſibus ad de-
„ terminatam neceſſitatem, ut prædicitur, per aliquem
„ pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam
„ rogari poſſit a Fratribus, ut ſi quid de pecunia ip-
„ ſa (habita neceſſitate determinata) ſupererit, con-
„ centiat ipſe concedens, quod reſiduum præfatæ pe-
„ cuniæ in res alias pro aliis ipſorum Fratrum præ-
„ dictis neceſſitatibus convertatur: caveant tamen Fra-
„ tres, quod ſollicite ſe coaptent, ut non plus ſcien-
„ ter concedi conſentiant, quam veroſimiliter æſtima-
„ ri poſſit, rem neceſſariam, pro qua pecunia ipſa
„ conceditur, valituram.

ff. *Ad hæc quia* loquens de Legatis, quæ in ulti-mis voluntatibus aliquando fiunt, declarat, quod ſi ſint facta, ſeu expreſſa modo licito Fratribus &c., ab iiſdem recipi poſſunt, *conſideratis tamen eorum neceſſitatibus*, & *moderaminibus*, *ſicut de receptione*, ſeu conceſſione pecuniariæ eleemaſynæ declaratum, & ordinatum eſt.

ff. *Quia vero Libros* .... hæc verba habet .... *Fratrum utilitatibus* .... *providere volentes*.

„ ff. *Si vero res hujuſmodi* æſtimato pretio vendi (*lo-*
„ *quitur de rebus Fratribus Teſtamento relictis*) conti-
„ gerit .... volumus, quod talis pecunia recipiatur,
„ & expendatur .... per Procuratorem a præfata Sede,
„ ſeu a Cardinali deputandum .... juxta modum in
„ ſuperioribus neceſſitatibus præteritis, & ingruentibus
„ ordinatum.

„ ff. *Licet autem* .... Et quamquam prædicta Regu-
„ la .... concedimus, quod ipſi Miniſtri, & Cuſtodes
„ poſſint per alios hujuſmodi curæ (*nempe recurſus ad*
„ *Amicos Spirituales*) ſollicitudinem exercere. Debent
„ etiam & alii Fratres curam hujuſmodi, quæ præfa-
„ tis Miniſtris, & Cuſtodibus præcipue incumbit ex

„ hac

„ hac Regula, cum ſibi ab illis commiſſa fuerit, ge-
„ rere diligentet.

Tandem ff. *Ad hoc* decernit, hanc ſolam ſuam Declarationem fore obſarvandam. *Hanc noſtram*, inquit, *Conſtitutionem*, *Declarationem*, *ſeu Ordinationem tantum a Fratribus ipſis præciſe*, *&* *inviolabiliter decernimus perpetuis temporibus obſervandam*. ....

Habetur hæc Conſtitutio in Corpore Auris *De verborum ſignificatione in 6.*

Ad hunc Pontificem etiam referendum eſt Inſtrumentum quodnam Cardinalis Matthæi Protectoris Ordinis ad Epiſcopos, & Archiepiſcopos Germaniæ datum Romæ an. 1280. Pontif. Nicol. III. an. 3. uno videlicet anno poſt emanatam prædictam Conſtitutionem, quod incipit *Venerabilibus in Chriſto Patribus*, & affertur a Marchantio in Expoſitione Regulæ pag. 495. In hoc autem ſequentia habentur.

„ Cum Ordinis F. M...... gubernatio ſit nobis a
„ Sede Apoſtolica commiſſa, prſæentium tenore com-
„ mittimus, damus, & concedimus unicuique veſtrum
„ ..... poteſtatem ordinandi, & conſtituendi Procu-
„ ratorem, ſeu Procuratores..... quos, & quos Mi-
„ niſtris Provinciales per ſe, vel per alium, ſeu alios
„ duxerint nominandos, & quotieſcumque, & quando-
„ cumque eis videbitur expedire, ad recipiendum pre-
„ tium, ſive pecuniam, quæ de Libris, & aliis mobi-
„ libus .... pretio æſtimato vendendis recipienda, & ad
„ expendendum de voluntate ſingulorum Miniſtrorum
„ ..... hujuſmodi pretium, ſive pecuniam in rem *li-*
„ *citam*, cujus uſum Fratribus habere liceat, & in a-
„ liis caſibus *licitis*, *&* *honeſtis* ſecundum Conſtitut. a
„ S. D. D. Nicolao .... ſuper nonnullis prædictorum
„ Fratrum Regulam contingentibus promulgatam. Con-
„ ſtituendi quoque unum, vel plures Procurarores ...
„ ad recipiendum hujuſmodi pretium, ſeu pecuniam,

„ ab universis, & singulis Procuratoribus, aliarum Lit-
„ terarum nostrarum auctoritate institutis, vel insti-
„ tuendis.... & ad expendendum nihilominus illa in
„ rem *licitam*, & aliis casibus *honestis*, *& licitis*, ut
„ præmittitur.... Cæterum ideo illos duntaxat Procu-
„ ratores constitui.... intelligi volumus, quos singuli
„ Ministri.... duxerint.... quia firmiter creditur, &
„ speratur, quod per eos sollicitudo diligens adhibea-
„ tur, & cautela, ut de rebus, pretio, & pecunia
„ supradictis beneplacitum Romanæ Ecclesiæ, cujus
„ sunt, impleatur, & fiat.

Jam vero super hac Declaratione, atque Instrumento plura quoque observanda sunt.

1. Hanc ex omnibus, quæ hactenus emanarunt, Declarationibus esse pleniorem, lucidiorem, maturiorem, salubriorem, ideoque non solum ab Ordine semper acceptatam, atque maxima in æstimatione, ac veneratione habitam, verum etiam sæpe protestatum, se ei potissimum velle semper conformare, eo tamen sensu, ac ratione, qua specialius, & plenius dicemus loco suo.

2. Solam esse a Fratribus deinceps observandam, ut Pontifex in calce decernit.

Hæ duæ tamen observationes non infinite, & universæ, sed limitate, & finite intelligendæ sunt. Nam sive hanc Declarationem cum antecedentibus, sive cum subsequentibus Declarationibus conferas, intelligitur, eam esse cæteris præferendam, & præ cæteris observandam, non in omnibus, sed tantum in iis, in quibus cæteræ huic contradicere, seu Regulæ quoad substantiam repugnare cognoscuntur, uti sunt *Privilegia*, *Dispensationes*, *Indulta*, *Relaxationes*, quibus propterea Ordo multoties se renuntiare protestatus est; minime vero in illis, in quibus non invenitur hujusmodi substantialis contradictio, sed modalis aliqua solum, aut major explicatio, & extensio, uti sunt ampliores *De-*

cla-

clarationes, *Expositiones*, *Interpretationes*, *Extensiones*, ubi proinde Regulæ substantia sarta nihilominus tecta est. Primum enim per Declarationes hujusmodi unius Pontificis potestatem aliis adimi magis, si oporteat, declarandi, non posse certo liquet. Deinde hac Nicolai Constitut. non obstante, S. Joann. a Capistrano in Generali Capitulo usum esse etiam antecedenti Innocent. IV. Declaratione in ipsa re, qua de agimus; & Fratres aliorum etiam Pontificum consequentium Declarationibus, præcipue earum, quæ ad varias Syndicorum formas spectant, uti posse, deinceps apparebit.

3. Excepta pecunia, hoc est pecuniæ usu (& quibusdam aliis in Regula contentis, de quibus infra in Declaratione Clem. V.) non obsistere Regulæ puritati usum aliarum rerum moderatum, sed solum copiosum, & superfluum; quem Pontifex multiplici expressione significat. Hujusque usus moderationem, aut superfluitatem ad judicium, atque dispositionem ministrorum, & Custodum pertinere, adhibita circumstantiarum omnium loci, temporis, personæ &c. discretione. „ Non „ enim, (ut verbis argenteis Pontif. Nicol. aurea Joan. „ XXII. in Extravag. *Quorundam exigit* verba addam) „ particularium omnium certa dari potest scientia, ne„ que eorum (cum infinita sint) contingit fieri disci„ plinam, non ars, non regula circumstantias singu„ las, accidentiaque cuncta complectitur: habent in „ illis minores majoribus obsequi, illisque intendere, „ non in certis solum, verum atiam in dubiis; & in „ certis præsunt artibus, quibus obediant, præsunt re„ bus singulis, quibus obtemperent disciplinis, ut il„ larum finis egregius debitis obsequentium ministeriis „ subsequatur. Sic judicans cuncta rimatur, & discu„ tit, leges casibus applicat, Canonum Decreta secer„ nit. Sic morbis aggravatus Medicum, sic virtus con„ stans in medio Sapientem, prudentemque deposcit,

„ ne si quisquam regatur ut appetit, confestim corruat:
„ .... sententiæ namque variantur ut capita, & cre-
„ scit in stolidis opinionibus phantasia. „

4. Ad rationem *necessitatis* quod attinet, Pontificem omittere vocem *commoda*, qua Innoc. IV., & Alex. pariter IV. usi sunt, sed usurpare voces tantum *necessitates*, *utilitates*. Ad hæc has *necessitates* arctare certis quibusdam conditionibus, quæ, ut ex tota ejus Declaratione collegere licet, statui possunt omnino octo.

1. Quod sit vera.

2. Quod sit determinata.

3. Quod propria, hoc est ipsius Fratris.

4. Quod vel *præterita*, vel *presens*, vel *futura*, sed *imminens*. Hæc autem duplex. Altera, quæ per se tractum temporis annexum habet ita, ut brevi expediri non possit: altera, quæ contra brevi expediri potest.

5. Quod necessitati provideri nequeat per commodum rei quæstum, aut aliter in propria specie.

6. Quod non extet alia pecunia in manu Amici Spiritualis, seu apud illum quod aliæ eleemosynes cessent.

7. Quod non permittatur deponi apud Amicum plus pecuniæ quam res necessaria existimetur valitura.

8. Quod si Amicus concedat pecuniam pro quadam necessitate determinata, & ea procurata restet aliquid peconiæ in ejus manu, ac Fratres id erogari cupiant in alias necessitates, rogetur, ut consentiat ipse concedens, quod illud residuum convertatur in alias: alioqui illo id minime concedente, pecuniæ ei residuum restituatur.

Et hæ quidem conditiones se proprius tenent ex parte *necessitatis*. Addi vero possunt aliæ, quæ se habens ex parte *Recursus*, & *Recurrentium*, quæ similiter tum ex Nicol. Declarat., tum ex Declarationibus aliorum Pontificum, tum ex re ipsa colliguntur, ut omnium

summa

ſumma habeatur. Conſtitui autem queunt ſex, proindeque ſimul omnes quattuordecim.

1. Quod recurſus non fiat pro vanitatibus, ſuperfluitatibus &c., ſed pro neceſſitatibus, vel utilitatibus.

2. Quod fiat a Superioribus, vel etiam a Subditis de eorumdem *commiſſione*, *ſcitu*, *conſenſu*, *licentia*.

3. Quod pecuniæ receptio, retentio, expenſio fiat per Amicos Spirituales vel principales, vel ab Eis, aut eorum nomine Subſtitutos, vel per Syndicum auctoritate Sanctæ Sedis, vel Dantis.

4. Quod Freter in recurſu non ſe gerat auctoritative, ſeu nullum jus, dominium, poſſeſſionem, proprietatem in pecuniam oſtendat, ideoque nullum hujus dominii actum exerceat, ut eſt v. g. præcipere quod, & qualiter ea expendatur, computum civilem exigere de expenſa, ejus clavem tenere, & ſimiles.

5. Quod ſi fieri poſſit Subſtitutus non ſit nominatus a Fratribus; & quod ſi ſit ab eis alicujus, vel aliquorum ſubſtitutio facienda, habeatur aſſenſus Dantis ſuper omnibus ſubrogationibus.

6. Quod ſi pecunia debeat per diverſas manus, ſeu perſonas tranſire, fiat proteſtatio a Fratribus Danti, vel ejus Nuntio ſi præſto eſt, quod totum id ſemper ſuo nutu, auctoritate procedet.

Has omnes conditiones aſſignare ſolent Expoſitores, quamquam nonnulli eas inter ſe confundere, imo & in illis ſibi contradicere videantur, cum quandoque omnes affirment obligatorias levius, aut gravius (de quo ſuo loco), quandoque non, ut apud illos videre eſt. Sed quænam ex iſtis omnibus ad ſubſtantiam præcepti pertineant, quænam vero minime, etquæ iſtarum in re præſenti ratio nunc ſit habenda, ſuis locis inferius oſtandetur.

Porro ex hac animadverſione quarta, Nicol. in ſua Declarat. ſtrictius, atque rigidius circa recurſum ad pecu-

cuniam egisse, quam cæteri sui Prædecessores, ex hactenus observatis mauifestum est.

5. In recursu ad Amicos Spirituales (de quibus præsertim in sua Constitutione sermo est) idcirco esse Fratres a culpa contra Regulam immunes, quia a pecuniæ tum receptione, dominio, proprietate, tum ab usu, atque contrectatione qualibet sunt prorsus alieni.

6. Facultatem Syndicorum instituendorum etiam ex Institutione Nicol. non se estendere nisi ad mobilia, vel immobilia præsertim Testamento legata, vel relicta: item ad mobilia jam præhabita, quæ utpote Fratribus inutilia pretio vendenda, & alienanda sunt; & ad recipiendam, ac expendendam hujusmodi pecuniam hac alienatione partam: nec non illam, quæ in manu Syndicorum revocatorum, vel revocandorum extabat, ut ex Declaratione, & Instrumento patet: minime vero ad recipiendas pecunias qualescumque.

7. Syndicos hujusmodi tunc non fuisse constitutos, aut constituendos immediate a Ministris, sed ab Episcopis, prævia tamen denominatione, atque designatione Ministrorum. Ex quo colligitur, nullam Brevis Innocentiani de Institutione Syndicorum per Ministros rationem a Nicol. quoqe fuisse habitam, ob causas fortasse a nobis in notis Innoc., & Alex. num. 3. assignatas. Item a Ministris unum, vel plures Syndicos nominari, & designari potuisse: & Syndicos pecuniam expendere debere de eorumdem Ministrorum voluntate.

8. Posse Fratres recurrere pro rebus omnibus, & *casibus licitis, & honestis.*

9. Sollicitudinem hujus recursus Ministris quidem, atque Custodibus præcipue incumbentem, etiam aliis tamen mandari posse, sicut & Innoc. IV. asserunt: qui d b nt eam impendere diligenter.

10. Denique omnes tam Gregor. IX., Innoc. IV., Alax. IV., & Nicol. III., quam etiam Clem. V. (de

qua

qua infra) Declarationes non loqui universim de veris, & formatis determinatis Syndicis, sed de Spiritualibus Amicis indeterminatis. Ex quo conficitur, quæ hi Pontifices hoc tempore disponunt de recursu ad pecuniam, ejusque depositione, aut retentione tam respectu Superiorum, quam Subditorum, sive pro Communitate, sive pro se ipsis tantum de pecuniæ apud unam personam, aut uno in loco incorporatione, & confusione intelligi absolute non posse, neque propterea Pontifices in id per se, ac necessarie intendisse. Nam profecto constat, pecunias a variis Fratribus, variis occasionibus, variis de causis, apud varios indeterminatos Spirituales Amicos procuratas, depositas, retentas non nisi separatas, ac disjunctas per se asse posse. Qua præsertim de re loco suo.

V. Martinus IV. Constit. *Exultantes in Domino* an. 1283. Pontif. 2. Relig. 74., in qua concedit facultatem Generali, & Provincialibus instituendi Syndicos. Existit apud Wading. Tom. II. in Regesto numer. *6.* pag. 155. Tenor autem hujus Bullæ sequens est.

„ .... Cogitare, *inqnit*, inducimur honesta remedia, „ quibus dicti Ordinis pura observantia in suo vigore „ servetur, iidemque Fratres, qui pro nulla re temporali possunt in judicio experiri, exclusis quibuslibet sollicitudinibus, liberius, & quietius divinis vacent obsequiis, & offerentium, donantium, concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus ejusdem Ordinis aliquid „ propter Deum pia intentio non fraudetur: sicque „ nos sollicitudini, qua prædictus Ordo pro suis *necessitatibus*, quoties ingrueret *necessitas*, vel *utilitas* suaderet, recurrere ad Romanam Ecclesiam cogeretur „ ad quam omnium rerum .... quibus Fratres uti possunt, jus, proprietas, & dominium nullo medio „ spectat: pensata incommoditate .... benignius in-

„ dulgentes: volentes quoque Hæredum, & Executo-
„ rum negligentiis obviare, ut Fratres secundum mo-
„ dos licitos, & congruos ipsi Ordini relictis sibi in
„ Testamentis eleemosynis non fraudentur.... Discre-
„ tioni vestræ .... personas speciales, quæ non sint
„ de ipso Ordine, nominandi .... quas personas ....
„ in his administrationem legitimam, generalem, &
„ liberam gerere, & ipsos veros, & legitimos Admi-
„ nistratores, Œconomos, Syndicos, & Actores esse
„ constituendo decernimus, qui res ipsas, & rerum
„ prædictarum pretium, & prædictas eleemosynas no-
„ mine ipsius Ecclesiæ recipiant, per eosdem in Fra-
„ trum ipsorum *utilitates* (pro ut eis licet ex Regula,
„ vel Declaratione Regulæ) convertenda, sicut, &
„ quando a Te Fili Generalis, vel singulis aliis ve-
„ strum in Provincia, vel Custodia sibi decreta, vel
„ ab eisdem Fratribus de *assensu* vestro extiterint re-
„ quisiti. Ac eædem personæ petendi, exigendi, reci-
„ piendi, alienandi predicta transigendi quoque, & pa-
„ ciscendi, conveniendi, & promittendi, remittendi,
„ refutandi, quietationem faciendi, agendi, defenden-
„ di, ac in animas eorum de calumnia, & veritate
„ dicenda jurandi, & cujusvis alterius ganeris jura-
„ mentum præstandi cum illis, & contra illos, qui
„ hujusmodi res ...., vel pretium illarum, vel relictas
„ eleemosynas .... occuparent, vel violenter auferrent,
„ sive contra voluntatem Fratrum quomodolibet deti-
„ nerent: & generaliter in omnibus causis pro rebus
„ & locis hujusmodi ad ipsam Ecclesiam spectantibus
„ ipsorum Fratrum usui concessis; nec non pro Im-
„ munitatibus, Libertatibus, & Juribus, ac Privile-
„ giis, & Indulgentiis eorumdem .... plenam, gene-
„ ralem, liberam habeant ...., in Judicio, & extra
„ Judicium potestatem. „

Hanc Bullam integram fere ad verbum dedimus,
quia

quia & in hac re ordine prima, & cæterarum forma est.

VI. Sextus Nicolaus IV. Constit. *Religionis favor* an. 1290. Pontific. 3. Relig. 81. apud Wading. Tom. V. in Regesto pag. 198.

Hic Pontifex confirmat ad verbum Bullam Martini IV.

Supra autem has Constitutiones plura notanda sunt.

1. In vim hujus Martinianæ &c. Ministros ipsos, & Custodes habere certam immediatam potestatem constituendi Syndicos, quæ antea ex concessione Nicolai III. ad solos Episcopos, ut vel ex allato Instrumento liquet, pertinebat. In quo patet innovari a Martino Breve Innoc. IV., cujus fortasse ad usque hæc tempora nulla ratio habita fuerat ob motiva proxime in notationibus num. 7. commemorata.

2. Syndicos hosce Martinianos posse recipere, & expendere pecuniam non solum ex rerum oblatarum, relictarum, donatarum distractione, seu alienatione comparatam; quod etiam antecessores Syndici poterant; verum etiam pecuniam ipsam oblatam, donatam, relictam præsertim Testamento; quod iidem non poterant: nequaquam vero pecunias alias quascumque v.g. pro Prædicationibus, Missis &c. Itaque hæc facultas in his duobus amplior est.

3. Hanc nihilominus ampliorem hoc modo formam tantum abesse, ut pugnet cum Regulæ puritate, quin potius ei faveat maxime, ut in Bulla exprimitur.

4. Etiam hunc Pontificem omittere vocem *commoda*, sed usurpare tantum voces *necessitates*, *utilitates:* item prætermittere *explicite*, & *clare* omnes illas conditiones Nicolai relatas in hujus Notis num. 4.

Dico *explicite*, & *clare*, quia *obscure*, & *implicite* videri posset, posuisse per eam parenthesim (*pro ut eis licet ex Regula, vel* Declaratione Regulæ). Sed hoc

verum

verum esse non posse, vel saltem esse omnino incertum, quinnimo non necessarium, multis manifestum est.

Primum enim. Si etiam Martinus ipse *necessitates* iis omnibus conditionibus arctatas voluit, cur *expresse*, & *distincte* non posuit, uti debuit, & facile potuit, quemadmodum fecit Nicolaus?

Deinde. Cum ante Martini tempora quatuor in hanc rem Declarationes, ut vidimus, emanaverint, nempe Greg. IX., Innoc. IV., Alex. IV., & Nicol. III.: cumque ex istis unus Greg. solam conditionem *necessitatis præteritæ*, *præsentis*, vel *imminentis* indicaverit, ut ex ejus Bulla liquet; cæteri vero duo, Innoc. videlicet, & Alex. omnes prorsus omiserint: inquiro. Quando Mart. dixit: vel *ex Declaratione Regulæ*, de qua amabo *Declaratione* locutus est? Nam vox hæc *Declaratio* vel significat *universaliter*, uti dicunt Logici, vel *particulariter*. Si primo modo, extenditur ad omnes quattuor præcedentes *Declarationes*, redditurque hic sensus: *vel ex Regulæ Declarationibus*; aut quod est idem: *ex qualibet Declaratione*: quo sensu non solum tu nihil proficis, sed nos plane evicimus. Siquidem quoniam ex præcedentibus *Declarationibus* duæ sunt, quæ omnes illas conditiones penitus omittunt, nempe Innoc., & Alex., necessario consequitur, non posse intelligi, easdem omnes conditiones in iis verbis *vel ex Declaratione Regulæ*, certo *implicite*, & *obscure* contineri: vel contineri, & non contineri simul, cum contineantur in antecedenti *Declaratione* Nicolai, quod infert contradictionem. Si vero significat secundo modo, restringitur ad unam aliquam *Declarationem*, sitque hic indeterminatus sensus, *vel ex una Regulæ Declaratione*. Sed quænam hæc est? num Gregoriana? igitur subsistit sola conditio *necessitatis imminentis*, cæteræ omnes corruunt, quandoquidem hæc sola a Greg. posita est. Num Innoc., vel Alexandrina? igitur evane-

nescunt conditiones omnes, cum in his *Declarationibus* de nulla istarum vola, aut vestigium sit.

Sed inquis. Ea vox *Declaratio* significat *particulariter*, & veluti antonomastice pro sola *Declaratione* Nicolai III., utpote quæ & celebrior, & acceptior, & proximior Martini temporibus est.

At enim quamquam id majori aliqua verosimilitudine dici posse utcumque videatur, absolute tamen hoc asserere, non affirmare sed potius divinare, aut minimum incerte, vel non necessario, uti diximus, agere est. Cur enim, si ita est, Martin. *expresse*, & *distincte*, uti debebat, & poterat, non dixit, *vel ex Declaratione* Nicolai?

Etenim primo cum Pontifices Antecessorum Constitutiones appellare volunt, eas singillatim, ac nominatim laudare solent, uti ex ipsis Bullarum Exemplis, ac tenoribus, & constanti, ac perperuo stylo liquet.

Præterea quis sibi persuadeat, volentem Pontificem præscribere Fratribus, præsertim sub obligatione, ne erogare facerent pecuniam in suas *necessitates*, vel *utilitates*, nisi secundum omnes conditiones prædictas, mentem suam clarioribus verbis explicare noluisse, sed tam confuse, æquivoce, vage, obscure, indeterminate explicasse? Ex ambigua enim, indefinita, ancipiti, & incerta locutione nihil certi ad inducendam obligationem, nti patet, desumi potest.

Deinde si sola *Declaratio* Nicolai per ea verba indicatur, Successorum potestas, ne quid deinceps super hoc Regulæ præcepto amplius explicare possent, per Martinum quodammodo ligata videtur: quod esse non potest.

Postremo. Mart. V., Eug. IV., Sixtus IV., aliique Pontifices, qui Martini IV. Bullam in suis Constitutionibus inseruerunt, ea parenthesi (*prout eis licet ex Regula*, *vel ex Declaratione Regulæ*) usi sunt. At

hi

hi omnes post. Nicol. III., & Clem. V., imo unusquisque post alium ex ipsissimet qnemlibet, floruerunt. Num igitur affirmabimus, hos omnes in unicam, eamdenque Nicolai *Declarationem* digitum intendisse? An non poterant indigitare etiam Clem. V. *Declarationem*? an non etiam unusquisque *Declarationem* alterius? Namque ut de aliis nihil dicam, Clem. *Declaratio* specialius indigitare posset, & quia omnes illas conditiones Nicolai etiam ipsa complectitur, ut infra videbimus, & quia juxta celebrior est ac illa ejusdem Nicolai, atque ab Ordine æqualiter habita, & acceptata. Falsum est ergo, vel saltem valde incertum, & non necessarium, per eam parenthesim fuisse a Martino Constitutionem Nicolai peculiarius designatam, ideoque omnes predictas conditiones in eadem *implicite*, & *confuse* contineri.

Quo ergo ea spectat, & quo pacto Intelligenda est? Scilicet spectat omnem, & quamcumque Pontificiam *Declarationem* sive præteritam, sive futuram. Unde hæc locutio universalis indeterminata *vel ex Declaratione Regulæ* æquipollet huic *ex omnibus Declarationibus*, vel *ex Declarationibus*; vel huic particulari indeterminatæ *ex quacumque Declaratione*; quod eodem tamen recidit: ideoque sententia Pontificis est, pecuniam per Syndicos erogandam esse in Fratrum quidem *necessitates*, & *utilitates*, non tamen *qualescumque*, aut *quomodocumque*, sed tantum *ejusmodi*, & *eo modo*, *cujusmodi*, & *quo modo* eis licet secundum quod constat ex Regula, vel a Pontificibus extat hactenus, vel deinceps extiterit declaratum. Hic genuinus naturalis, rationabilis, verus hujusce parentheseos sensus est: quo sensu sententia a nobis proponenda non solum non impetitur, sed magis firmatur, quandoquidem & ab Antecessoribus Pontificibus Innoc. IV., & Alex. IV., ut vidimus, & a nonnullis successoribus, ut videbimus, omues conditiones

nes illæ, & etiam illa ipsa parenthesis, de industria prorsus omissæ sunt.

Porro ideo in ea clausula non continentur *necessitates qualescumque*, & *quomodocumque*, quia non omnium rerum usum Fratribus licet habere, ut patet ex Regula, & Nicolao III. supra ff. *Insuper*, & ex Clem. V. mox clarius patebit. Ut verbo hanc animadversionem concludamus, in ea parenthesi omnes *necessitates*, atque *utilitates* ex Regula, vel ex quacumque Pontificia Regulæ *Declaratione* quomodolibet concessæ, vel permissæ includuntur.

Atque hæc dicta, ac tractata volui, ut astruerem veram illius clausulæ significationem adversus eos, qui forte aliter eam accipere, atque in violentum sensum ex præocupatione aliqua detorquere conarentur: Cæterum sumant ut lubet per me licet. Nam utcumque sumatur, causæ præsenti nihil obesse, Opere procedente apparebit.

Hanc adnotationem Lector sedulo attende, & mente alte infixam retine.

5. Denique posse non solum Superiores, sed etiam peculiares Fratres de eorundem *assensu* ad Syndicum pro suis *necessitatibus*, vel *utilitatibus* recurrere: id quod Martinus IV. clarissime omnium expressit. Ubi etiam observare juvat vim illius vocis *assensus*, qua tantum Pontifex usus est: quæ vox forte habet in significando adhuc minus aliquid virium, quam voces *facultas*, *concessio*, *licentia*, quibus uti potuisset, ut subtilius speculanti patet.

VII. Septimus Clem. V. Constit. *Exivi de Paradiso* an. 1310. Pontific. 7. Relig. 101. in qua sequentia habentur.

„ ff. *Cæterum* loquens de ingredientibus Ordinem ait, „ *quod si velint aliquid sponte dare, non videtur*, in„ quit, *quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eo-*

rum

„ *rum necessitatibus*, *& moderationibus Declarationis jam*
„ *dictæ* (nempe Nicolai III., quam superius nominatim laudaverat) .... *si quid* .... *per modum eleemosynæ libere dare velint*.

„ ff. *Porro* .... istum articulum (*scilicet de recursu ad pecuniam*) declarans idem Prædecessor noster (nimirum ut dixi Nicolaus) casus, & modos posuerit, quibus servatis a Fratribus non possint dici, nec debeant per se, vel per alium pecuniæ receptatores contra Regulam, vel sui Ordinis puritatem: dicimus, Fratres teneri cavere summopere, pro aliis causis, *& sub modis* aliis, quam ponat dicti Prædecessoris Nostri Declaratio ad Dantes pecuniam, sive deputatos, nuntios non recurrant.... ne transgressores præcepti, & Regulæ merito possint dici. Nam ubi aliquid alicui generaliter prohibetur merito, quod expresse non concediter, intelligitur denegatum. Quocirca quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia, vel alibi, Cippi, vel Trunci &c., nec non & quicumque recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qui per Declarationem prædictam non conceditur; hæc inquam omnia sunt eis simpliciter interdicta. Cum autem recursus ad Amicos Spirituales; expresse tantum in duobus casibus secundum Regulam concedatur, videlicet pro necessitatibus infirmorum &c.... ideoque pie, & rationabiliter considerata necessitate vitæ, ad alias necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, cessantibus eleemosynis, seu etiam ingruentes, sæpe dictus Prædecessor noster duxerit extendendum: attendant Fratres præfati, quod pro nullis causis aliis quam prædictis, vel similibus in via, vel alibi recurrere licet eis ad Amicos hujusmodi, sive sint Dantes pecuniam, sive deputati per ipsos, sive nuntii vel depositarii, sive quovis alio nomine appel-

len-

„ lentur: etiamsi concessi per eamdem Declarationem
„ modi circa pecuniam integre servarentur. Denique
„ .... curare Fratres diligenter necesse est, quod cum
„ ex causis prædictis, & modis ad habentes pecuniam
„ recurrere .... sic se gerant, quod .... ostendent ...
„ penitus nil scilicet juris habere &c.

„ ff. *Licet vero* declarat Fratres de facili non debe-
„ re habere Granaria, aut Cellaria his verbis. Rur-
„ sus cum prædictus Sanctus tam in exemplis vitæ,
„ quam verbis Regulæ ostenderit se velle, quod Fra-
„ tres sui, & Filii Divinæ Providentiæ innitentes suos
„ in Deum jacerent cogitatus .... non est verosimile
„ voluisse ipsum, eos habere Granaria, vel Cellaria,
„ ubi quotidianis mendicationibus deberent sperare pos-
„ se transigere vitam suam. Et idcirco non ex timo-
„ re levi se relaxare debent ad congregationes, &
„ conservationes hujusmodi faciendas, sed tunc tan-
„ tum &c.

„ Et ff. *Ex præmissis autem* ait. Ex præmissis au-
„ tem succrevit non parum scrupulosa quæstio inter Fra-
„ tres, videlicet utrum ex suæ professione Regulæ ob-
„ ligentur ad arctum, & tenuem, sive pauperem usum
„ rerum, quibusdam ex ipsis credentibus, & dicenti-
„ bus, quod sicut quoad dominium rerum habent ex
„ Voto abdicationem arctissimam, ita ipsis quoad usum
„ arctitudo maxima, & exilitas est indicta: aliis in
„ contrarium asserentibus, quod ex professione sua ad
„ nullum usum pauperem, qui non exprimatur in Re-
„ gula, obligantur, licet teneantur ad usum modera-
„ tum Temperantiæ, sicut & magis ex condecenti,
„ quam cæteri Christiani. Volentes itaque conscientia-
„ rum prædictorum Fratrum providere quieti, & his
„ altercationibus finem dare, declarando dicimus, quod
„ Fratres Minores ex professione suæ Regulæ speciali-
„ ter obligantur ad arctos usus, seu pauperes, qui in
ipsa

„ ipsa Regula continentur, & eo obligationis modo, „ sub quo continet, seu ponit Regula dictos usus.

Habetur hæc Constitutio in jure Clement. de Verb. significat.

Jam vero super hac quoque Declaratione plura observanda sunt.

1. Hanc esse alteram celebriorem ex Constitutionibus multis, quæ super Regulam prodierunt, atque ideo æque ac alteram Nicolai III. semper in Ordine habitam ut supra, eo tamen sensu, quem notatione prima indicavimus.

2. In ista prorsus confirmari, imo adhuc fortius inculcari, ac præscribi omnes illas *necessitatis*, ac *recursus* conditiones positas in adnotationibus Nicolai num. 4. unde etiam hæc est cæteris æqualiter arctior, & rigidior ac illa, imo etiam aliquantum magis, ut utramque consideranti apparebit.

3. In hac sermonem haberi præcipue de Amicis Spiritualibus minime de Syndicis etiam constitutis, vel constituendis ad formam Declarationis Nicolai: fortasse vel quia tum temporis universim in usu non erant; vel quia existere supponebantur; vel quia etiam ipsi tanquam Spirituales Amici habebantur; vel deniqne præsertim, quia declaratum extiterat ab eodem Nicolao, non aliter ad Syndicos deputandos pro venditione rerum Testamento relictarum quam ad Spirituales Amicos, recursum legitime fieri posse.

4. De Mart. IV., & Nicol. IV. Constitutionibus Clementi licet proximioribus, altum silentium esse; unius Bullæ Nicolai III. Mentionem fieri, ejusdem tantummodo rationem haberi, atque omnia ad illius amussim reduci: forte quod illæ non fuerant in Ordine receptæ, sed eis potius contradictum, quia creditum fuerat & Regulæ, & Nicolaitæ Declarationi repugnare, sicut etiam in notis Innoc. IV. n. 3. observavimus.

5. Cum

5. Cum Clem. V. cupierit, suam Declarationem Declarationi Nicolai III. prorsus conformari, eam non *obscure*, *implicite*, *confuse*, *indeterminate*, *sed explicite*, *distincte*, *determinate*, & *nominatim* citavit, omnesque *casus*, *causas*, & *modos* in recursu ad pecuniam servandos in eadem positos, ac præscriptos clarissime, non tantum semel, sed iterum, ac tertio verbis absolutis, & generalibus expressit, ac declaravit. Adeo verum est quod in hanc rem docuimus in Notis Mart. IV. n. 4.

6. Denique *expresse* declaratum, ac decisum, Fratres Minores non teneri ad alios usus rerum *arctos*, seu *pauperes*, quam qui in Regula continentur, & eo solum modo, quo in ea continentur: id quod tantum indicaverat ff. *Nec quicquam Nicolaus*.

VIII. Octavus Mart. V. Constit. *Amabiles fructus* 1428. Pontific. 11. Relig. 209. in qua concedit Ordini, quod non obstante Constit. Joann. XXII. *Ad Conditorem Canonum*, qua Bullæ Mart. IV. quadantenus derogaverat, uti possit eadem Martiniana *tandiu*, & *quousque per Sedem Apostolicam aliud eidem Ordini utilius fuerit ordinatum*.

Habetur apud Wading. Tom. V. Annal. in Regesto pag. 165. num. 209. In hac vero inserit ad verbum Constit. ejusdem Mart. IV., & in calce hæc verba habet: .... *pro parte*, inquit, *Ministrorum fuit .... supplicatum*, *ut super his eis*, *&* *eorum statui*, *&* *commoditatibus paternaliter providete curaremus*. *Nos igitur &c.*

Ad hunc eundem Pontificem pertinent etiam Constitutiones Capituli Generalissimi totius Ordinis, nempe omnium Fratrum tam Conventualium, ut vocabantur. quam de Familia, Celebrati pro ejusdem Ordinis Reformatione Assisii an. 1430. speciali jussu ejusdem Pontif., præsidente Card. Jo. Tit. S. Petri ad Vinc.: quæ Constitutiones fuerunt confirmatæ ab eodem Pontifice eodem anno tanquam *salubres*, *&* *honestæ*, ut ipse ait

in Bulla *Pervigilis more Pastori:* apud Wading. Tom, V, pag. 219., & propterea Martinianæ solent appellari. Has autem composuit S. Joann. a Capistrano ad totius, ut dixi, Ordinis Reformationem: Cardinalis vero eas toti Capitulo proposuit, & hoc eas approbavit, & acceptavit.

In istis cap. 1. hæc habentur. *Quod votum Paupertatis, id est vivendo sine proprio; & quod Fratres nihil sibi approprient: statuimus, & ordinamus illud inconcusse tenendum, quod fel. record. Nicol. III. declaravit in sua Decretali.* Exiit qui seminat, de verb. significat. in 6. ff. Porro successive *usque* ad ff. Verum quod expresse.

„ Et cap. 4. Statuimus, & ordinamus juxta Declar.
„ Nicolai III., & Clem. V., Mart. IV., & V., quod
„ quilibet Conventus, seu Locus habeat suum Procu-
„ ratorem, Œconomum, Syndicum, & Actorem, cui
„ omnes eleemosinæ pecuniariæ, & aliæ, quæ ad pe-
„ cuniam reduci possunt, integraliter, consignentur,
„ qui easdem dispensare debeat legaliter, & fideliter
„ in reparationem Conventuum, & Locorum, aliasque
„ necessitates Fratrum pro tempore occurrentes: &
„ quod Fratres (forte *& sic quod*) nullo modo dena-
„ rios, vel pecuniam non recipiant .... In omnibus
„ autem, quæ ultra hæc magis arctarent Fratres dicti
„ Ordinis sive ex Declar. Clem. V., sive quacumque
„ alia Declar. Summor. Pontificum, vel aliorum quo-
„ rumcumque, Apostolica auctoritate nobis commissa
„ (inquit Cardinalis) misericorditer dispensamus: non
„ adstringentes propterea eos, qui voluerunt præfatas
„ Declarationes servare, quin suo voto satisfacientes
„ servare valeant, ac tenere.

Hic est tenor ad verbum hujus Statuti quemadmodum affertur a Wadingo, sed ab aliis scriptoribus exhibetur Statutum in pluribus verbis mutatum, inter

quæ,

quæ, iis omissis, quæ sensum diversum reddere, aut alterare non possunt, nonnulla afferenda sunt.

Itaque Corduba *Expos. in Reg.* pag. 241. legit: *& quod Fratres nullo modo &c.* ut supra; Auctor vero Chronol. Legal. Histor. Editionis Neapolit. 1550. pag. 93. legit: *sicque Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant*. Loco vero illorum verborum *ultra hæc magis arctarent Fratres*, idem Auctor legit: *ultra hoc magis videntur arctare*. Ita legunt etiam Statuta Salmantic. an. 1553., Corduba ibidem, & Roder. Tom. III. Quæst. Regul. q. 39. art. 4. pag. 117.: unde hæc lectio videtur esse melior.

Porro cap. 12. dicitur, has Constitutiones non obligare ad peccatum mortale.

Ad eamdem rem pariter faciunt quæ habet idem Mart. V. in Bulla *Ad Statum Ordinis Fratrum Minorum* apud Wading. Tom. eodem V. pag. 221., data eodem anno Generali, qui statim post Capitulum a Reformatione recesserat, & modificationes quasdam super prædictis Constitutionibus impetraverat; in qua Bulla concedit, etiam *possessiones annuos redditus*, & bona quæcumque sive immobilia, sive mobilia per Syndicum nomine S. Sedis recipi posse, ubi hæc verba habentur: *illosque* (nempe *redditus &c.*) *convertere in commoda, & utilitatem Fratrum possint*.

Neque refert, quod pro Conventualibus, ideoque a Regulæ puritate desciscentibus data sit, quodque etiam *possessiones* recipi concedat. Nam primum quamquam ii in hoc dispensati fuerant, non erant tamen dispensati neque in pecuniæ usu, neque in recursu ad illam, neque in qualitate *necessitatis*, pro qua recurri possit; hæc enim omnia, sicuti antea, in eadem obligatione remanebant. Deinde extensio ista *necessitatis* etiam ad *utilitates*, & *commoditates* non ipsam afficit concessionem habendi *possessiones* modo prædicto, nempe per

Syndicum, sed bonum ipsorum Fratrum: quod etiam sine ista concessione, ut patet, stare potest. Proterea ampliatio isthæc *necessitatis* non est *privilegium*, aut *relaxatio*, uti est *possessionum* concessio, sed est *expositio*, & *interpretatio* Regulæ, seu præcepti, ut in notis Innoc. IV. num. 1. diximus. Tandem hæ ipsæ voces *commoda commoditates* ne dum ab Innoc. IV. & Alex. IV. ante hanc Reform., sed etiam ab eodem Mart. V. in hac ipsa Reformatione in Bulla *Amabiles fructus* ut supra, positæ, & usurpatæ sunt; ut propterea extensio hujusmodi nec nova, nec rara videri possit. Adeo verum est, etiam quæ statuit Mart. V. in relata Bulla *Ad Statum Ordinis*, emanata licet pro Conventualibus, ad præsentem controversiam de natura, & qualitate *necessitatis*, pro qua eam Bullam hic allegamus, posse pertinere.

Jam vero circa has Mart. V. Constitutiones, & Ordinis Statuta plura animadvertenda sunt.

1. Omnia hæc pro Reformatione Ordinis, & pura Regulæ observatione facta esse, ideoque nullum verum *privilegium*, aut *relaxationem* continere. Ex quo evidenter conficitur, ea, quæ per verbum *dispensamus* dispensantur, supra, aut præter Regulam esse, ideoque non ad Rogulæ, aut præceptorum substantiam, sed potius ad *modalitates* quasdam pertinere. Quis enim putet, S. Joann. a Capistrano, aliosque Sanctos Fratres Ordinis reformationem procurantes, eamque a Mart. postulantes, *privilegia*, atque *relaxationes* contra Regulæ puritatem obtinere, ac statuere voluisse?

Neque obsistit, quod Mart. IV., & V. diu fuerit in Ordine contradictum; quia hoc ex sinistra Bullarum intelligentia ortum est. Nam semel ac, præhabita diligentiori consideratione, constitit, eas Bullas nihil contra substantiam Regulæ continere, statim ab ordine eis subscriptum est, imo etiam ab Innoc. XI., ut in calce hujus historiæ apparebit.

2. Fa-

2. Facultatem Syndicorum Mart. V. non restringi ut antea tantum ad receptionem quarundam certarum pecuniarum, sed extendi ad receptionem quarumcumque, & quomodocumque. Dicitur enim *omnes eleemosynæ pecuniariæ consignentur.*

3. Etiam Mart. V. in utraque constitutione voci *necessitate* voces *utilitates*, *commoda*, *commoditates* adjecisse: ex quo evidenter firmatur quod in notis Innoc. IV. num. 12. in calce diximus, etiam post arctiores Nicol. III., & Clem. V. Declarationes, Pontifices eadem verba usurpasse; (quod quidem in ipsamet Reformatione hic factum est) ideoque de natura, & qualitate *necessitatis* æque ac senserunt Innoc. IV., & Alex. IV. sensisse: itaque eam doctrinam conformem Regulæ, & Apostolicis Declarationibus esse.

4. Denique hic clare affirmari *in omnibus aliis, quæ ultra hæc* (*ultra hoc*) *magis arctarent* (*videntur arctare*) *Fratres sive ex Declaratione Clem.* (hæc peculiariter, opinor, nominatur & quia rigidior etiam altera Nicolai, & quia tempore Martino proximior) *sive ex quacumque alia Declar. summorum Pontificum*, (puta sive Greg. IX., sive Nicol. III.) *vel aliorum quorumcumque* dispensari; quo clarius, ac universalius nihil dici potest.

Porro per ea verba *ultra hæc*, *ultra hoc* proxime tantum dicta contineri, atque significari, ex natura relatorum (cum aliud non sit, ad quod ea hoc loco referri possint) manifestum est. Hæc autem in re subjecta ista duo tantummodo sunt, nempe quod omnes *pecuniariæ eleemosynæ* sint Syndico consignandæ; & quod sint erogandæ *in Fratrum necessitates pro tempore occurrentes*; sicque per hæc sola duo salvari, ac verificari, quod *Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant:* quod perinde est ac dicere, in his duobus solis substantiam precepti de *recursu* ad pecuniam, & de *necessitatis* qualitate contineri; cæteras conditiones qua-

scumque adjectas *accidentalia* solum, & *modalia* quædam esse: id, quod nos loco suo ex professo demonstrabimus,

ANIMADVERSIO.

JAm vero hic locus postulat, ut Lectorem admoneam de errore *facti*, quem in Editione prima commisi, quemque jam ego ipse cognovi paulo post, quam edidi Diatribam meam, dum Martinianas Constitutiones relegi. Error autem hujusmodi est. Ex eo quod in cap. 4. superius relato nulla fiat mentio de iis *modificationibus* in recursu ad pecuniam Clem., & Nicol., certo collegi notatione 4., eas a Capitulo Generali in suis Constitutionibus, hoc est Martinianis in ipso Reformationis calore fuisse omissas, proindeque etiam propter hoc omnino sublatas, & ideo ad præcepti substantiam neutiquam pertinere. Quod tamen falsum est. Etsi enim cap. 4. omittantur, tamen cap. 1. generaliter asseruntur, & graviter inculcantur, ut videre licet in verbis supra relatis, quæ idcirco in hac secunda Editione posita a me sunt; nam in iis, quæ exarantur a ff. *Porro* usque ad ff. *Verum*, omnes illæ *modificationes* continentur, ut in ipsa Nicolai Decretali liquet. Atque hoc unum est, in quo Anonymus hujusce operis Censor in toto libello suo me, fateor, devicit, non vero in alio aliquo, ut opus illius, & meum attente inter se conferentes facile agnoscent. Quapropter lubens ingenue retracto primum id, quod expresse hoc loco dixi, nempe fuisse in Martinianis hisce Constitutionibus prædictas omnes *modificationes*, seu *arctationes* omissas; tum retracto omne id, quod ex hac sola omissione alias ubicumque a me affirmatum, collectum probatum fuit: quod proinde omne in hac secunda Editione a me sublatum est.

Porro dixi de *errore facti*, quia quod est ad jus, nem-

nempe utrum, hoc non obstante, hæ *arctationes* nunc habendæ sint tanquam sublatæ, & an, & quatenus obligent in conscientia, imo utcumque etiam accipiantur, num eæ possint nihilominus obsistere assertioni meæ de quæstione principali, alias ex professo apparebit.

IX. Nonus Eug. IV. Constit. *Provisionis nostræ* an. 1432. Pontific. 1. Relig. 223. apud Wading. Tom. Supplem. pag. 288. In hac Constitut. confirmat Bullas Mart. IV., & V., insertis ad verbum tenoribus earum.

Ad hæc tempora, & ad hunc Pontificem pertinet etiam Declaratio quædam super Regulam composita a F. Nicolao de Auximo Vicario Provinciæ S. Angeli, quæ vulgo appellatur Declaratio S. Bernardini eo quia ab eodem approbata, & divulgata est anno 1440., quando fuit institutus primus Vicarius Observantiæ ab eodem Eugenio IV., & Ordinis Generali, suasione, & opera S. Joann. a Capistrano, qui & ipsam Declarationem examinavit. Item Spectant Constitutiones ab eodem S. Joann. Secundo Vicario Generali editæ an. 1443. sub eodem Eugenio, quocum de Reformatione tractatum habuerat. In supradicta autem Declaratione sequentia habentur.

„ Secundo. Fratres non tenentur ex sua Professione ad alium arctum usum rerum quam in Regula particulariter exprimitur, ut satis patet per Clem. V. ff. *Ex præmissis*: quinimmo ut claret ex Declarat. Nicolai III. ff. *Porro* secundum Regulam, & omnimodam veritatem moderatus usus rerum ad vitæ sustentationem, & officiorum sui status executionem, præter quam de pecunia concessus est Fratribus.

„ Tertio. Quod superfluitas, & curiositas non debet discerni respectu necessitatis arctæ, seu usus arcti quoad statum Fratrum Minorum, sed mo-

„ derati, cum usus moderatus non possit dici curiosus, & superfluus; imo secundum omnimodam veritatem, & Regulam licitus, ut patet ex praeallegato Domino Nicolao. Et quia moderatio dicti usus debet attendi secundum qualitatem personarum, & varietatem temporum, & locorum conditiones, & alias occurrentes circumstantias, terminus curiositatis, & superfluitatis non potest faciliter discerni, propterea per Subditos non potest, nec debet judicari, sed per Ministros, & Custodes, vel eos, quibus ab ipsis committitur; qui de talibus super eorum conscientiis debent districte judicare, ut patet in Declarat. Nicolai ff. *Insuper*, & ff. *Quamquam*.

„ Septimo. Quia in omnibus, quae possunt indubitanter declarari, subditi tenentur stare judicio Praelatorum, & obedire, ut in 2. q. cap. *quid culpatur*; propterea agentes contrarium sunt transgressores obedientiae, & dignae a Superioribus censura Ecclesiastica, aut alia decenti poena castigantur....

In Constitutionibus autem commemoratis S. Joann. a Capistr. cap. 4. haec leguntur.

„ Circa quartum capitulum dico, & ordino, quod Fratres omnino abstineant a receptione, tactu, & congregatione pecuniarum honeste, & licite necessaria procurando. Si contingat pecuniariam eleemosynam necessario procurari juxta Declarationes apostolicas Procuratori, vel Œconomo Loci integraliter consignetur, & per eumdem expendatur suis temporibus tam pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, quam pro aliis quibuscumque necessitatibus occurrentibus juxta Declarationem Innoc. in sua Constitut., quae incipit *Ordinem vestrum*, qui dicit, *quod Fratres possint, si rem sibi necessariam, vel utilem velint emere &c.* Hic inserit ad

„ ver-

„ verbum integram pericopen Innoc. IV. , quam nos
„ suo loco exaravimus.

„ Et caveant Fratres omnino, ne aliquam eleemo-
„ synam pecuniariam sive pro se , sive pro aliis Fra-
„ tribus, vel sæcularibus personis .... procurare præ-
„ sumant, vel acceptare sine licentia speciali sui Guar-
„ diani. Caveant etiam prorsus, ne contrahant ali-
„ qua debita, nisi cum licentia Prælatorum suorum. „
Et alibi ordinat, ne aliquid vendatur, vel ematur nisi per Syndicum.

In Declarationibus autem quibusdam factis ab eodem Capistrano super prædictis suis Constitutionibus num. 11. dicitur.

„ Undecimo declaro, quod in supradictis declaratis,
„ & in omnibus aliis contentis in meis supradictis Con-
„ stitutionibus non intelligo Fratres obligari ad pec-
„ catum, nisi in illis, quæ concernerent substantialia
„ Regulæ sub verbis præceptivis, vel prohibitivis, vel
„ æquipollentibus... In nullis autem aliis Fratres in-
„ telligantur obligati ad peccatum, etiamsi in dictis
„ Constitutionibus, sive Ordinationibus meis verba præ-
„ ceptoria, vel inhibitoria, vel quomodocumque posi-
„ ta viderentur.

Super hac Eugenii Bulla, atque Ordinis Declarationibus plura similiter observanda sunt.

1. Etiam ab Eugenio admitti, & approbari eas voces *utilitates*, & *commoditates*, cum illas Bullas citet ad verbum, & confirmet, in quibus eæ continentur.

2. Ab eo referri Mart. IV. Constitut. cum illa parenthesi (*pro ut eis licet* ex Regula, vel Declaratione Regulæ).

3. Hic neque peculiariter, & *explicite*, neque universim, *implicite*, & *confuse* recenseri illas necessitatis conditiones, seu *arctationes* Clem. & Nicolai, sed solum astrui, quod omnis pecunia debeat Syndico consigna-

gnari, ut ab eo expendatur *suis temporibus pro necessitatibus quibuscumque occurrentibus*.

4. Licitum Fratribus omnium rerum usum *moderatum* exclusis duntaxat perticularibus in Regula exceptis; discernendam principaliter a Superioribus Superfluitatem; in dubiis hac de re subditis judicio illorum standum.

5. Etiam S. Joan. a Capistrano probari extensionem illam, seu explicationem *necessitatis* etiam pro *utilitatibus*, & *commodis*, quandoque ad verbum utitur Declarat. Innoc. IV., ubi vox *commoda* quinquies replicata reperitur, eique declarationi se conformat. Ex quo rursus evidenter liquet esse verum quod in notis Innocentianis prædiximus, nempe etiam post rigidiores Nicolai III., & Clem. V. declarationes, nedum a Pontificibus, sed etiam ab Ordine in ipsomet Reformationis calore eas voces *utilitates*, *commoda*, *commoditates* fuisse usurpatas; ideoque Innoc. Declarat. quoad hoc vel non fuisse umquam suspensam, & multo minus retractatam, vel saltem vi Bullarum Mart. V., & Eugenii IV. revalidatam.

6. Juxta Capistranum cum Superioris licentia posse acceptari pecuniam etiam *pro se*, nempe *peculiariter*, sane apud Syndicum reponendam, & si opus fuerit, retinendam.

7. Tandem has Capistranas Constitutiones non obligare ad peccatum, nisi in Regulæ substantialibus, consequenter cætera omnia sine culpa omitti posse.

X. Decimus Sixtus IV. constit. *Dum fructus uberes* an. 1471., Pontific. 1., Relig. 262. Extat apud Wading. Tom. 6. in Regesto pag. 163. num. 5. In hac inserit Constit. Mart. IV. *Exultantes in Domino*; Mart. V. *Ad statum Ordinis*; & Eug. IV. *Provisionis nostræ* easque confirmat, & omnia ab illis concessa circa Syndicos de novo concedit.

Neque obstat, quod idem Sixtus inserat etiam Bullam

lam illam Mart. V., quæ concedit redditus, & possessiones, quæque propterea pro conventualibus data fuit; quodque etiam Mart. IV. Constitutionem ad hujusmodi possessiones extendat, & quod præsertim Bullam suam *Dum fructus uberes* pro Observantibus retractaverit an. 1476. per aliam Bullam *Lucet nos dudum* apud Weding. Tom 6. in Regesto pag. 180. num. 20.

Etenim ad duo prima quod spectat, hoc referre nihil, supra ubi de Mart. V. Cinstitutionibus egimus ff. *Ad eandem rem* satis ostensum est.

Quod vero pertinet ad tertium, primo Bullam illam non omnino, sed ex parte tantum retractavit. Duo namque in illa concesserat, alterum, posse Fratres per Syndicum etiam redditus, & possessiones recipere, alterum, posse etiam succedere in hæreditatibus ab intestato. Hoc secundum pro Observantibus tanquam *expresse contrarium*, ut ipse dicit, *eorum emissæ professioni, & promissæ paupertati* retractavit, non primum, ut utramque Bullam legenti apparebit: quamquam nec primum fuerit à nostris acceptatum. Unde deceptus est Felix Potestas in Exam. Confes. pag. 126. nu. 1187., qui affirmat eam Bullam fuisse per aliam omnino retractatam.

Deinde duo Capitula nostra, nempe Salmanticense, quod paulo post afferemus, & Vallisoletanum an. 1593. tam Bullam Sixti IV. *Dum fructus uberes*, quam Eug. IV. *Provisionis nostræ* præfatas circa Martiniani Syndici institutionem, & usum allegarunt, & adhibuerunt: quod argumento est, ab illis Generalibus Capitulis utramque Bullam, non obstantibus prædictis, tamquam ad rem, qua de agimus, pertinentem fuisse habitam. Vallisoletanum celebratum est præsente Nuntio Apostolico Camillo Cajetano ad hoc specialiter a Clem. VIII. delegato, sed hujus Capituli Constitutiones ab eodem Pontifice approbatæ, & confirmatæ non sunt.

Circa

Circa hanc Sixti Bullam hoc solum peculiariter notandum est quod Bullam Mart. IV. fere ad verbum refert, & cum illa parenthesi (*pro ut eis licet &c.*): nam cæteræ observationes, quæ etiam hic fieri possunt, eædem quæ supra sunt.

XI. Undecimus Clem. VII. Constit. *Vacantibus* an. 1530. Pontif. 3., Relig. 321. apud Wading. Tom. 8. in Regesto pag. 213. In hac declarat Syndicorum institutionem non esse contra Regulæ puritatem his verbis.

„ Sane cum sicut accepimus ...., & piæ memor. „ Mart. Papa V. mandaverit, ut quilibet Conventus „ haberet Syndicum, apud quem omnes eleemosynæ „ .... nec propterea ipsi Fratres essent, aut dici de- „ berent Regulæ suæ transgressores, nec ab ea absolu- „ ti, cum tales sint Amici Spirituales; nihilominus „ a nonnullis hæsitetur, an Syndici .... auctoritate, „ seu vigore Litterarum .... Innoc., & præfati Mart. „ (nempe V.) instituti, & instituendi, per quos jux- „ ta dictam Regulam necessitatibus prædictis providen- „ dum sit, & Fratres ad eos recurrentes transgressores „ Regulæ suæ dici, seu censeri debeant, nos attenden- „ tes Syndicos præfatos ob periculum animarum, & „ regularem observantiam, & ut Fratres ipsi divinis „ beneplacitis liberius vacare posse institui ordinasse, „ seu concessisse, ac certum numerum Syndicorum „ libertatem recurrendi ad Amicos Spirituales magis „ arctare, quam incertum, Fratres infirmi (forte in- „ fimi, vel idiotæ) etiam cum periculo animarum „ suarum sine scitu Prælatorum suorum facilius elee- „ mosinas apud Amicos Spirituales indeterminatos te- „ nere possent; ac volentes ipsorum Fratrum, maxi- „ me Cismontanorum, qui Martino, & aliis præde- „ cessoribus præfatis humiliter obedierunt, & ipsius „ Martini mandatum observarunt, statui, & conscien- „ tiarum serenitati in premissis providere, decernimus,

„ & declaramus, Syndicos auctoritate .... Innoc.,
„ Clem., & Mart. deputatos, Amicos Spirituales in
„ Regula, & Declaratione prædictis expressos, & con-
„ cessos esse, censeri debere, & Fratres ad illos recur-
„ rentes eorum Regulæ transgressores, seu ab illius ob-
„ servatione absolutos non esse, nec censeri debere.

Super hac Declaratione tria notanda sunt.

1. Promiscue allegari a Clem. Mart. & Innoc. auctoritatem: quod perinde est ac affirmare adhuc in vigore Innoc. IV. ac de re Dispositiones a nobis suo loco allegatas.

2. Syndicos esse veros Amicos Spirituales: quænam sunt motiva, ob quæ sunt instituti: & cur melius sit iis potius uti, quam indeterminatis, ac vagis Amicis Spiritualibus; quia nempe istorum usus conjunctus esse potest *cum animarum periculo*, seu cum periculo Voti, ac Regulæ transgressionis, ut constat ex iis verbis *Fratres infirmi cum periculo animarum suarum sine scitu Prælatorum suorum facilius eleemosynas apud Amicos Spirituales indeterminatos tenere possent:* in quibus verbis hæc tria Pontifex docet: 1. tenendo pecuniam apud eos Amicos, cum *periculo* prædicto teneri posse: 2. hoc *periculum* consistere in *Prælatorum* ignoratione, seu in hoc, quod tenendo eo modo *facilius sine* illorum *scitu* teneri potest, qui tamen *scitus* ad hoc, ut transgressio Voti, & Regulæ evitetur, requiritur: 3. declinari hoc *periculum* tenendo apud Syndicum, eo quia tenendo hoc modo non ita *facile sine Prælatorum scitu* teneri potest: præter enim quam quod subditi pecuniam depositam Prælatis manifestare tenentur, ut suo loco videbimus, ipsi Prælati *facile*, Syndicum, si velint, conveniendo, scire possunt, quinam Fratres penes ipsum depositas pecunias habeant, & quantas habeant. His motivis Pontifex Fratres ad utendum potius Syndico, quam Amicis Spiritualibus indeterminatis in hac Decla-

claratione sua exhortari, atque inducere intendit, ita ut per ea verba ita Fratres Minores alloqui censeatur. Si vos, Fratres, teneatis *eleemosynas* pecuniarias *apud Amicos Spirituales indeterminatos*, fieri potest, ut teneatis *cum animarum* vestrarum *periculo*, seu *cum periculo* transgressionis Voti paupertatis, & Regulæ vestræ, propterea quia hoc modo tenendo *Prælati difficilius* id scire possunt, cum tamen, ut transgressio hujusmodi evitetur, eorum *scitus* requiratur. Vultis hoc *periculum* evitare? deponite, & tenete apud Syndicum, & sic a *periculo* transgressionis Voti, & Regulæ eritis immunes, eo quia hoc modo tenendo, *facile cum Prælatorum scitu* tenere potestis, ac tenebitis. Itaque hæc duo facite: tenete apud Syndicum; & tenete *cum Prælatorum scitu*, & eritis a transgressione securi.

3. Quod super omnia notandum est, in iis Pontificis verbis, & in hoc discursu ita necessario, & evidenter contineri quoad omnia sententiam nostram, quæ in hoc opere propugnatur, ut a Clem. VII. fere *in terminis* tradita, ac decisa dici possit. Hoc ut Lector evidenter cognoscas, diligenter attende. Sententia nostra hæc complectitur: quod peculiares Fratres de Superiorum *scitu*, & *assensu* possunt habere, & tenere apud Syndicum depositum pecuniæ separatum, & excorporatum a pecunia communi, (sive id etiam *physice*, & *materialiter* fiat, sive tantum *formaliter*, & *moraliter*, hoc est signatum, ac reservatum pro suis peculiaribus necessitatibus, non pro necessitatibus communitatis, seu aliorum omnium; hoc enim intenditur;) quod possunt habere, ac tenere etiam diu, & permanenter, hoc est pro necessitatibus etiam pro tempore *occurrentibus*, seu simpliciter *futuris*: quod hoc possunt Superiores permittere, & concedere quod hoc non adversatur neque Voto paupertatis, neque Regulæ; nam de his præcipuæ titulis questio intelligitur, cum

de

de Minoribus agitur. Nunc hæc omnia in Declaratione Pontificis per ea verba tradita manifesta, ac decisa continentur.

Et quidem quod Clem. loquatur de peculiaribus Fratribus; patet ex re ipsa, ex toto contestu; & ex illis verbis *Fratres infirmi &c.*

Quod Superiores possint ita concedere, ac permittere, quoque patet ex verbis *sine Prælatorum scitu*: nam ex his clare infertur fieri posse *cum* eorum *scitu*, ideoque infertur, illorum *scitum*, & *assemsum* & requisitum, & sufficientem esse, unde & ab illis dari posse.

Quod teneri possit pecunia ut supra excorporata liquet: tum quia *habere* & *tenere* non nisi improprie, & coactæ trahi potest ad significandam pecuniam confusam, & incorporatam, cum & nemo dicatur *habere* & *tenere* quod non pertinet ad se; nec retinetur pro se, sed pertinet ad Communitatem, & pro tota Communitate retinerur, quandoquidem in hypothesi *habere* & *tenere* verba alicujus peculiaritatis sunt: tum quia a Pontifice instituitur comparatio inter Syndicum, & Amicos Spirituales vagos, ac indeterminatos, isque istis opponitur, ut indicetur, se velle. seu contentum esse, ut Fratres faciant apud Syndicum id ipsum, quod apud eos Amicos faciunt, seu facere possunt; constat autem apud hujusmodi Amicos non *teneri* pecuniam neque *physice*, neque *moraliter* incorporatam, & Pontificem ipsum supponere, quod a Fratribus ita apud eosdem teneatur, aut teneri possit: tum quia nihil prodest, aut obest Prælati *scitus*, aut *ignoratio* ad hoc ut teneatur incorporata, ut patet, cum contra *scitus* aliquid operari debeat: tum quod *scitus*, & *assensus* supponit exemptionem quamdam, ac libertarem in actibus ab observatione communi: tum denique quia si Pontifex pecuniæ incorporationem apud Syndicum intendisset, Fratrib. per suam dispositionem non commodum,

sed

ſed incommodum contuliſſet, ideoque ab hoc, ut potius Syndicis, quam Amicis Spiritualibus indeterminatis uterentur, potius eos retraxiſſet, quam ad id induxiſſet, proindeque ut ab omni tranſgreſſionis periculo in retentione pecuniæ caverent, conſilium, & exhortationem Fratribus inanem dediſſet.

Quod teneri pecunia poſſit pro neceſſitatibus ſimpliciter etiam *futuris*, ſeu diu, & permanenter pariter liquet: tum quia Pontifex nihil reſtringit, nihil limitat, nihil modificat, nihil conditionis præſcribit, ſed tantum duo vult, ac docet, duobus tantum contentus eſt, nempe quod teneatur pecunia apud Syndicum, quod teneatur cum *Prælatorum* ſcitu: tum quia verbum *tenere* non reſtringitur ad ſignificandam certam quamdam differentiam temporis. ſed omnes differentias ſignificat, & complectitur, ut patet: tum quia diu, & permanenter teneri poteſt etiam apud Amicos vagos Spirituales, ſi neceſſitates cum effectu *occurrentes pro tempore* id exigant, ut alias videbimus: tum demum quia diu etiam, & permanenter teneri poſſe a Fratribus pecuniam apud Amicos Spirituales, jam ſupponitur a Pontifice, & indicatur per ea verba *ſine prælatorum ſcitu facilius tenere poſſent*, uti conſideranti liquet.

Tandem quod ita pecuniæ depoſitum habere, ac tenere non adverſetur Voto paupertatis, & Regulæ, ſeu Voto per Regulam Fratrum Minorum reſtricto, ac modificato (nam hæc duo unum ſunt: unde ſi non adverſatur Regulæ, neque eorum paupertatis Voto adverſatur), evidentiſſimæ patet; & quia ſi ita eſſet, Clem. VII. ſic non diſpoſuiſſet; & quia imo explicavit, ita facere ne dum a tranſgreſſione Voti, aut Regulæ, ſed etiam a tranſgreſſionis periculo alienum eſſe. Ex quo hic obiter etiam manifeſtiſſime conſequitur eſſe falſum, quod Cenſor noſter tamquam fundamentum aſſumit ad probandum, apud Fr. Minores nec ſubditos habere neque

pe-

penes Syndicorum peculium, neque Superiores, ut habeant, concedere, aut permittere posse, eo quia cum ipsi per Regulam nihil sive in particulari, sive in communi possidere, aut proprium habere possint, omnis pecunia apud Syndicum deposita Ecclesiæ, seu Pontificis est, qui propterea vult, ut solum in communi sui capsa, & incorporata pro omnibus teneatur: de qua, inquam, falsitate agemus plene locis suis.

Hanc adnotazionem Lector diligenter consideret, &, iterum dico, evidenter perspiciet, a Clem. VII. nostram sententiam in omnibus fuisse fere *in terminis* decisam, ac determinatam ita ut nihil aliud ad ejus firmitudinem necessarium videri possit.

XII. Duodecimus esse potest Julius III. Const. *Cum sicut accepimus* anno 1553. Pont. 4. Relig. 344. apud Wading. Tom. VIII. pag. 260. Etenim in hac Bulla approbantur, & confirmantur Constitutiones Capituli Generalis Salmantic. Observant. quod Capitulum celebratum fuit jussu ejusdem Pontif. sub P. Clem. de Monilia Ord. Generali, præsidente Cardinal Rodulpho Pio de Carpo Ord. Protectore. Hæ autem Constitutiones de expresso Pontif. mandato Cisalpinis, cæteris abolitis ad observandum propositæ, & præscriptæ sunt. In his vero citantur, ut supra prædiximus, Bullæ Eug. IV. & Sixti IV. in hanc rem superius allegatæ: tum inseruntur omnia supradicta Mart. IV., & V. in eorum Bullis: ad hæc etiam fere omnes Constitutiones Martinianæ, in iis præsertim, quæ ex S. S. Capistrano, & Bernardino supra retulimus; in quibus tamen nulla fit mentio neque *explicite*, neque *implicite*, neque *speciatim*, neque *generatim* de *arctationibus* Clem. V., & Nicolai III.: unde omnia approbari, & confirmari a Julio III. quæ hactenus in rem nostram dicta sunt, consequens est.

XIII. Tertiusdecimus Paulus IV. Const. *Ex clemen-*

ti Sedis Apostolicæ an. 1555. Pontif. 1. Relig. 346. in qua confirmat omnia privilegia tribus Ord. S. Francisci concessa, eaque de novo concedit. Extat apud Wading. Tom. IX. in Regesto pag. 482. num. 2. In hac primum inserit ad verbum Bullam Mart. IV., postea ita sequitur ff. 8.

„ Et nihilominus pro poriori cautela, & ampliori „ dono gratiæ illa omnia, & singula.... concessa.... „ etiam juxta ampliorem, & favorabiliorem intelligen- „ tiam, & interpretationem; & præsertim, ut exclu- „ sis quibuscumque sollicitudinibus liberius, & quietius „ divinis possint vacare obsequiis .... & offerentium, „ donantium &c.... ac ut ipsi Fratres secundum mo- „ dos licitos, & congruos ..... relictis sibi, & aliis „ etiam pecuniariis sibi quomodolibet oblatis, conces- „ sis, legatis, & donatis pro tempore, etiam pro Mis- „ sis, & aliis Divinis Officiis, eleemosynis, & aliis „ rebus non fraudentur, quod Generalis &c.... possint „ nominare speciales personas.... quas .... veros, & „ legitimos .... Syndicos.... esse, qui res prædictas, „ & rerum prædictarum pretium, & prædictas eleemo- „ synas ...., reciperent, & recipere possent — per eos- „ dem in Fratrum ipsorum utilitates, etiam pro vi- „ ctu, & vestitu &c.... & Fratrum hujusmodi neces- „ sitatibus pro tempore convertenda, sicuti, & quan- „ do a dictis Generali, ... & Provincialibus Mini- „ stris, & Custodibus ..., vel ab eisdem Fratribus de „ assensu eorum extiterint requisiti..... nec propter „ præmissa Fr. Minores hujusmodi contra Regulam S. „ Franc.... sive contra Statuta Regularia sui Ordinis „ hujusmodi in aliquo facere, nec fecisse, imo cum „ illius observatione quoad hoc & pura, & sana con- „ scientia sine alicujus conscientiæ scrupulo vixisse ha- „ ctenus, & in posterum vivere declaramus.

XIV. Quartusdecimus Pius IV. Const. *Ex clementi*

Sedis

Sedis an. 1561., Pontif. 2. Relig. 352., in qua pariter confirmat privilegia tribus Ord. concessa, eaque iterum concedit apud Wading. Tom. IX. in Regesto pag. 552. num. 2. In hac Constit. inseritur ad verbum sola Bulla Pauli IV. sine illa parenthesi (*pro ut eis licet &c.*) quæ neque in illa reperitur; Bullæ autem Mart. IV., & V. tantummodo nominatim allegantur, non tamen formales earum tenores inseruntur. Etiam in hac Bulla habentur ea verba *juxta ampliorem; & favorabiliorem &c.*, quæ in Paulina reperiuntur.

Jam vero super his Constitutionibus quatuor peculiariter notanda sunt.

1. Et in primis in his contineri amplissimam Syndicorum institutionem, seu confirmationem cum ii constituantur ad recipiendas universim, & sine ulla exceptione pecunias omnes quomodolibet aquisitas, idque clarius, ac distinctius exprimatur quam antea sit factum. Itaque Syndicorum forma, & facultas ita constituta, & extensa est, ut nihil ei addi posse videatur.

2. Ad *necessitatis*, vel *utilitatis* rationem quod attinet, non solum hic omitti omnes *conditiones*, seu *arctationes* Clem. V., & Nicolai III., ita ut nec vola de his, aut vestigium reperiatur, verum etiam simplicem illam vocem *occurrentes*, quæ in Martinianis, & Capistranis Constitutionibus invenitur: solum enim dicitur *Fratrum necessitatibus pro tempore*: quamvis in substantia non multum id referat.

3. Omitti quoque illam parenthesim (*pro ut eis licet &c.*). Quod non forte, aut negligentia, aut oblivione, aut Typographi errore, sed consulto, de scientia, & industria factum ex eo ostenditur, quod cum Paulus IV. initio suæ Bullæ tenorem Constit. Marr. IV. ad verbum cum ea parenthesi præposuerit, eamdem tamen in tenore ipso ejusdem Bullæ suæ omissam fecerit; & multo magis quod Pius IV. post sex annos eamdem Pau-

li Bullam iiſdem verbis referens, eam tamen retulerit eadem quoque paranthesi mutilatam; neque is ipſe in tenore Bullæ ſuæ addiderit, ſed prorſus omiſerit.

Accedit quod cum omnia antea conceſſa, in his Pauli, & Pii Conſtitutionibus confirmentur, & denuo concedantur etiam *juxta ampliorem, & favorabiliorem illorum intelligentiam, & interpretationem* (quæ verba non caſu, ſed conſilio, ut nempe aliquid in majorem favorem pro Fratrum conſcientiis, & animabus operentur, poſita eſſe quis non videt?), etiamſi in Pauli, & Pii Bullis ea parenthesis conſulto poſita reperiretur; neque ea intelligenda foret quemadmodum in Martini IV. notis num. 4. oſtendimus; tamen vi harum Bullarum ſententiæ noſtræ adhuc faveret: nam per ea verba quamcumque aliam illius parentheſeos, aut aliarum rerum *intelligentiam*, aut *interpretationem*, (quæ cum Regulæ tamen, vel præceptorum ſubſtantia non pugnet), ſi qua ſtrictior, & odioſior eſt, remanere prorſus evacuatam conſequens eſt. Itaque ut omnia verbo concludam, omnes *conditiones*, ſeu *arctationes* quæ ſive *explicite*, *diſtincte*, ac *determinate*, ſive *implicite*, *confuſe*, & *indeterminate*, ſive in Declarationibus Gregor. IX., Nicol. III., Clem. V., ſive aliorum Pontificum, aut cæterorum quorumcumque poſitæ, & præſcriptæ videri poſſunt, per has Pauli, & Pii Declarationes, omnes prorſus, excepta Regulæ, & præcepti ſubſtantia, utpote de certa ſcientia, & induſtria omiſſæ, ſublatæ habendæ ſunt.

4. Tandem tales, ac tantas eſſe hujuſmodi Paulinam, & Pianam Conſtitutiones, atque ita in his, vel in una, aut altera vel præſentis ſummam, quod nempe ad Syndici formam, neceſſitatis naturam, & qualitatem, ac Fratrum recurſum ſpectat, contineri, ut etiamſi nunc hæ ſolum, aut una, vel altera, cæteris omnibus Pontificum Declarationibus ſublatis, ſupereſ-

ſet, nihil amplius in rem eamdem deſiderari poſſet. Quod liquet ex eo; & quia omnium, uti diximus, ampliſſimæ ſunt, & quia Pius IV. ſolam Pauli V. Bullam referens, præterea nullius alterius Pontificis, & ſuam prorſus conſimilem conſtituens, ita egiſſe videtur, ut ſignificaret, ſolam Pauli Bullam quoad ea, quæ diximus, a ſe in cenſu haberi, adeoque ut & illius, & ſuæ tantum ratio habeatur, ſatis eſſe poſſe.

Has quatuor animadverſiones ſedulo Lector attendat, ac mente retineat.

XV. Quintuſdecimus tandem Innoc. XI. ***Sollicitudo Paſtoralis*** an. 1679. Pontificat. 4., Relig. 470. Extat Tom. II. Chronol. Hiſt. Legal. pag. 149. Hanc Bullam dedit pro conſervanda pura obſervatione Regulæ, in eaque declarat ad quæ præcepta ejus Fratres obligentur. In iſta autem ſic loquitur.

„ Cum itaque, inquit, ſicut accepimus, in pluribus „ Capitulis Generalibus Ordin. F. M. S. Franciſci de „ Obſervantia nuncupatorum, & noviſſime in Valliſoletano, quod an. 1670. celebratum fuit .... declaratum, & proteſtatum fuerit, in nullo Regulæ eorumdem F. M. præcepto eatenus cum F. Min..... „ diſpenſatum fuiſſe, nec ipſum Obſervantiæ Corpus „ ullam unquam admiſiſſe, vel admittere diſpenſationem in Regula, ſed potius velle ..... illam pure „ obſervare juxta Summorum Pontificum Declarationes „ a Fratribus Obſervantibus .... in ſuis Statutis Generalibus recompilatis pro Ciſmontanis an. 1673.; „ & pro Ultramontanis, an. 1621., & a Reformatis, „ Diſcalceatis &c.... reſpective admiſſas, & receptas: „ nos declaramus..... Fratres teneri in conſcientia obſervare Regulam F. Min. S. Franciſci, & præcepta „ ejus a fel. rec. Nicol. III., & Clem. V. expoſita, „ & enumerata ad formam Conſtitutionum prædictarum „ reſpective, & ſignanter præter præcepta, quæ non

„ ita frequenter occurrunt, & recitationem divini Officii (*hic memorat signanter alia sex præcepta, comprehenso præcepto de receptione pecuniæ, de quo subdit*)... „ & demum teneri ad capitale præceptum Religionis „ F. Min. de non recipiendis denariis per se, vel per „ interpositam personam. Declarantes tamen pariter, „ quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine „ Syndici Apostolici, cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus „ .... provisus pro puriori illius observatione; sive „ ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constitutionum Nicolai III., & Clem. V., sive secundum „ dispositionem Constitutionum Mart. IV., & Mart. „ V., ac Pauli IV. (*potuisset addi etiam Pii IV., cum utriusque* eadem *omnino, ut vidimus, Constitutio sit: sed forte ob hanc eamdem rationem id omissum est*); „ pro ut illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus aut Provinciis Ordinis prædicti respective fuerit receptus.

Circa denique hanc postremam Innoc. XI. Declarationem duo solum hac de peculiariter notanda sunt.

1. Fratres Syndicis utentes Regulam ne dum pure, sed etiam purius (id quod Innoc. XI. clarissime præ aliis omnibus expressit) observare; ideoque perfectius observare iis, qui privatis potius Spiritualibus Amicis utuntur. Quod rigidiores Fratres specialiter animadvertere velim.

2. Per hanc Declarationem singula, & universa, quæ de tota Institutione, forma, ac facultate Syndicorum, de ratione, & qualitate *necessitatis*, pro qua ad eos recursus fieri potest, & de iis, qui possunt recurrere, hactenus ab omnibus Prædecessoribus Pontificibus, etiam favorabilius, declarata, disposita, ordinata, concessa, permissa, & a nobis suis locis observata sunt, paucis verbis, ac generali quadam comprehensione appro-

probari, & confirmari; (nam quid ex ea contra nos opponi possit, alias apparebit;) cum in hac Declaratione approbentur, & confirmentur Matt. IV., & V., ac Pauli IV. (ideoque & Pii IV.) Constitutiones, in quibus omnia, & singula supradicta, ut identidem adnotavimus, continentur: ut propterea nullo modo in dubium verti possint quæ tam luculenter videntur a Sede Apostolica etiam recentissime confirmata.

Et hæc omnia quidem hactenus veluti historice tradita ad quæstionem primam pertinent.

Jam vero ad tertiam quæstionem quod attinet, variæ, & graves de vita communi ad observandam Paupertatem Ordinationes ab Ecclesia emanatæ sunt.

XVI. Primum itaque sit Concilium Tridentinum, in quo Sess. 25. de Reform. Regul., & Monial. sequentia hac de re habentur.

„ Cap. 1. Quoniam non ignorat Sancta Synodus . . .
„ necessarium esse censuit . . . . præcipere pro ut hoc
„ præcepto præcipit, ut omnes Regulares tam viri,
„ quam mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præ-
„ scriptum vitam instituant, & componant; atque
„ in primis . . . ut obedientiæ . . . ac si quæ alia sunt
„ alicujus Regulæ, & ordinis peculiaria Vota, &
„ præcepta ad eorum respective essentiam, nec non
„ ad communem vitam, victum, & vestitum conser-
„ vanda pertinentia fideliter observent, omnisque cu-
„ ra, & diligentia a Superioribus . . . . ut ab illis
„ non recedatur; cum compertum sit, ab eis non pos-
„ se ea, quæ ad substantiam Regularis Vitæ pertinent,
„ relaxari.

„ Cap. 2. Nemini itaque Regularium tam Virorum,
„ quam mulierum liceat Bona immobilia, vel mobi-
„ lia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis mo-
„ do ab eis aquisita, tamquam propria, aut etiam no-
„ mine Conventus possidere, vel tenere, sed statim

„ Superiori tradantur, Conventuique iocorporentur. „ Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui „ Regulari concedere, etiam ad usum fructum, vel u„ sum, administrationem, seu Commendam. Admini„ stratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conven„ tuum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Su„ periorum amovibiles, pertineat, mobilium vero u„ sum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex „ statui Paupertatis, quam professi sunt, conveniat; „ nihilque *superflui* in ea sit, nihil etiam quod sit *ne„ cessarium* denegetur.

„ Cap. 3. Concedit Sancta Synodus omnibus Mona„ steriis .... (exceptis Domibus Fratrum S. Francisci „ Capucinorum, & eorum, qui de Observantia vocan„ tur) .... ut deinceps Bona immobilia eis possidere „ liceat .... In prædictis autem Monasteriis, & Do„ mibus tam Virorum, quam Mulierum Bona immo„ bilia possidentium, vel non possidentium, is tantum „ numerus constituatur, ac in posterum conservetur, „ qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel „ ex consuetis eleemosynis *commode* possir sustentari.

XVII. Secundus Pius V. *Circa Pastoralis Officii* an. 1566. Hic idem præcipit speciatim pro Monialibus, utiturque iisdem verbis; *vel ex redditibus ... commode sustentari possint*.

XVIII. Tertius Greg. XIII. *Deo Sacris* ann. 1573. injunxit sub iisdem verbis Ordinariis, ut præfatum numerum statuant in Conventibus tum sabjectis, tum exemptis.

XIX. Quartus Clem. VIII. in Decretis super Reformatione Regularium an. 1599. *Nullus omnino*. In his sequentia distinctius, & expressius statuuntur.

„ ff. 3. Quo Tridentini Concilii Decreta de Pau„ pertatis Voto custodiendo fidelius observentur, præ„ cipitur, ut nullus ex Fratribus, etiam si Superior sit,

„ sit, Bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, „ proventus, census, eleemosynas, sive ex Concionibus, sive ex Lectionibus, aut pro Missis .... aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocumque nomine aquisita, etiamsi subsidia Consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius Bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

„ff.5. Eorum vero, quæ ad *necessitatem* concessa erunt, nullus quidquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

„ ff. 7. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad Bona immobilia, & mobilia Fratres excusare possit, quo minus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilii Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxii sint; etiamsi Superiores asseverent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse: quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

„ ff. 8. Fratrum vestitus, & Cellarum suppellex .... statuique Paupertatis, quam professi sunt, conveniat, ut nihil *superflui* admittatur, nihil etiam quod sit *necessarium* alicui denegetur.

„ ff. 9. Quæcumque Fratrum vestes sive laneæ, sive lineæ, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

„ ff. 14. In unoquoque Conventu Fratrum is tantum

„ tum deinceps .... numerus ſtatuatur, qui ex reddi-
„ tibus illius propriis, vel ex communibus conſuetis,
„ vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſque quibuſ-
„ cumque obventionibus .... *commode poſſit ſuſtentari*.

Et in præſcriptione Normæ traditæ Ordinariis ann. 1603. 23. Julii, Pontific. an. 12. pro ædificatione Monaſteriorum Regularium ter utitur his vocibus *commode ali*, *&* *ſuſtentari*,

XX. Quintus Paulus V. *Sanctiſſimus* ann. 1605. 4. Decemb. eadem ſtatuens repetit verba Clem. VIII., & Tridentini, & uſurpat voces *commode ali*: *ſufficienter ali*: *competenter ſuſtentari*: *additque juxta Regionis*, *&* *Inſtituti morem*, *victum*, *&* *veſtitum in communi habentes &c.*

XXI. Sextus Gregor. XV. approbante Congreg. 17. Aug. 1621., revocans licentias a Paulo V. conceſſas erigendi novos Conventus &c. ſtatuit idem, adhibetque verba: *commode ſuſtentari poſſint*.

XXII. Septimus Urbanus VIII. *Cum ſæpe contingat* an. 1625. ff. 10., & 11. eadem decernit utens iiſdem verbis Pauli V. *juxta Regionis &c.*, *&* *illis*, *competenter ſuſtentari*; *ſufficienter ali*.

XXIII. Octavus tandem Innoc. XII. *Nuper* 22. Decemb. 1697., in qua Conſtit. confirmat Deciſiones quaſdam Sacræ Congreg. eadem ſuper re, in quibus verba eadem *commode ali poſſint* inveniuntur.

Ad eamdem rem pertinent quodammodo etiam Quæſtiones quædam de Paupertate propoſitæ Sacræ Congr. Concilii, ab eaque reſolutæ apud Quaranta in *Summa Bullarii* v. *Caſus reſervati*. Sunt autem Septem.

Q. 1. An ex diſpenſatione inferiorum a Summo Pontifice liceat Regularibus poſſidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque Bona immobilia videlicet, & mobilia ſuperflua, non obſtante Decreto Concil. Tridentini Seſſ. 25. de Regul. cap. 2.

2. An

2. An propter talem dispensationem, seu scientiam, Superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua, a culpa, vel a pœna excusentur.

3. An suparioribus asseverantibus hujusmodi se licentias posse concedere fides adhibenda sit.

4. An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quoad mobilium superfluitatem, & convenientiam.

5. An Superiore quantumvis requisito necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente liceat ipsis clam, vel invito eo illa sibi comparare, seu retinere.

6. Et quatenus liceat. An itidem liceat, cum necessaria ideo negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterii Facultates non suppetunt.

7. An dicti Superiores Regulares dictum ca. 2. declarare, & interpretari possint.

Ad 1. Gongreg. Concilii respondit, non licere.

Ad 2. non excusari neque a culpa, neque a pœna ipso facto incurrenda.

Ad 3. minime adhibendam.

Ad 4. nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personæ, Officii, & Regulæ, statusque Paupertatis, quam professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum.

Ad 5. non licere.

Ad 6. licere si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem. Cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam usque adeo, ut si quid privatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem recte deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat ejus necessitati, cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reliquum Conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem.

Ad 7. non posse.

Ad idem quoque ſpectant Decreta, & Ordinationes aliæ quædam eccleſiaſticæ, quibus ſuper vita communi aliquantulum aliter ac Tridentinum præſcribit, pro aliquibus diſpoſitum, indultum, ſeu permiſſum eſt. Hujuſmodi ſunt Decreta, ut ubi perfecta vita communis ad Concilii præſcriptum obſervari non poſſit, Fratrum pecunia ſaltem in communi Conventus Ærario reponatur, per publicos Officiales in eorum neceſſitates expendatur, vel tantum ab ipſis Fratribus ſingulis tantumdem identidem ſubminiſtretur, quantum eorum neceſſitates expoſtulare videntur, reliquo pecuniæ remanente in eodem Ærario ſub arbitrio, ac diſpoſitione Superiorum, in communes Monaſterii neceſſitates, & uſus convertendæ, & erogandæ. Hujuſcemdi eſt Decretum Sacræ Congreg. Apoſtol. Viſitat. juſſu Urbani VIII. 13. Julii 1627. pro Franciſcanis Conventualibus Monaſterii SS. Apoſtolorum Romæ, apud Maſtrium Theol. Moral. Diſp. 14. pag. 469. num. 43., e Ferraris Tom. V. Promptæ Biblioth. pag. 240. num. 69., ubi etiam nu. 70. modus, quo depoſita peculiaria in Capſa communi ſignari debeant, habetur his verbis.

„ Partitæ autem dictæ capſæ communis per compu„ tum ſeparatum ſic inſcribi debent: Il Monaſtero de„ ve avere da ſe per conto di Suor N. N. (loquitur „ enim de Monialibus) Scudi .... pro ut Sacra Con„ greg. Epiſcopor., & Regul. reſcripſit Archiepiſcopo „ Barenſi 2. Octob. 1595., cui totam pecuniam pro„ venientem ex Monialibus particularibus in capſam „ communem deponendam eſſe injunxerat, quoties Mo„ niales ex cauſis ſupradictis ad vitam communem re„ duci non poſſent. Et iterum ita fieri juſſit genera„ liter 4. Februar. 1678., ut refert Criſpin. *De Viſi„ tatione ff.* 42. *num.* 40." Idem ordinatum eſſe pluries ab eadem Sacra Congreg. refert idem Ferraris ibidem pag. 242. num. 80. & pag. 43. num. 82.

Pa-

Pariter huc spectant ordinationes illæ Congreg. Regul. datæ Visitatoribus Apostolicis Monast. Sanctimonialium Civit. Neapol., & Salerni 2. Junii 1589., & reformatæ ac modificatæ 12. Julii 1592., cum sequentibus Declarationibus 1600., & 1602., apud supradictum Quaranta V. *Monast. Monial.* pag. 351. Quæ omnia, quoniam nonnulla peculiaria continent usui in rem præsentem futura, ne Lector ibi ea quærat, volo ad verbum ex ipsomet Auctore referre. Ordinationes autem, inter alias plures, duæ sunt, ordine 45., & 46.

„ Numero igitur 45. sic habetur. Cum vero regu-
„ laris vivendi ratio, & optimi instituti, & tuta via,
„ qua ad omnis perfectionis gradum ascenditur, sit vi-
„ ta communis, nihilque proprium possidere, nec pe-
„ cuniam tractare, nec eam quidem, quæ in usum cu-
„ jusque conceditur, districte præcipitur, & mandatur,
„ ut si quæ Moniales hujusmodi sanctam, & regula-
„ rem vivendi rationem elegerint, & omnia bona, red-
„ ditusve quovis modo ad usum concessa, vel reserva-
„ ta a se abdicaverint, & Monasterio cesserint, Ab-
„ batissa, Priorissa, vel aliæ Præfectæ Monasteriorum
„ renuntiationem hujusmodi recipere omnino teneantur,
„ & ex Monasterii Bonis, redditibus, seu introitibus
„ in his, quæ ad victum, & vestitum, & reliquam
„ vitæ sustentationem pertinent, illis præcipue provi-
„ dere, & ita opportune omnia subministrare, ut nul-
„ la re indigere permittatur.... &c.

„ Num 46. In Monasteriis, in quibus similiter re-
„ tinentur hactenus provisiones, & subventiones, &
„ non omnia in communi conferuntur, concedatur li-
„ centia accipiendi aliquam subventionem, de manu
„ tamen Abbatissæ, sive Præfectæ prædictæ pro suis
„ religiosis necessitatibus; quæ vero supersunt, Abba-
„ rissa erogare teneatur in communes usus Monasterii;
„ ac Ordinarii, sive Superiores Monasterii quotannis

„ exi-

„ exigant rationem a Depositaria, & Abbatissa, seu „ Præfecta prædictis de hujusmodi provisionibus, sub- „ ventionibus, & depositis, & in eas transgredientes „ graviter animadvertant.

Sequuntur declarationes quædam quorumdam prædi- „ ctorum capitum tenoris sequentis.

„ MDC. die 6. Maii. Facta relatione Sanctisf. D. „ N. decrevit .... ut curet Illus. Card. Archiep. de- „ creta Reform. Apostol. Inviolabiliter servari, & exe- „ cutioni mandari, præsertim quæ .... de vita com- „ muni in 45., 46. disponuntur: hoc addito, ut Mo- „ niales teneantur præstationes omnes ipsis assignatas „ Superioribus fideliter notificare, & consignare in cer- „ to libros notandas, & per communes Officiales Mo- „ nasterii exigendas ad hoc ut in usum ipsarum Mo- „ nialium pro singularum religiosis necessitatibus de „ mandato Abbatissæ, seu alterius Superioris per Mi- „ nistros publicos, & communes Monasterii in totum, „ vel pro parte, ut opus erit, quotannis erogentur.

Illustriss. e Reverendiss. Sig. mio Osservandiss.

„ Nostro Signore istesso ha voluto vedere, ed esa- „ minare .... ed essendo assai chiari li Capitoli 45., „ e 46. delle Ordinazioni generali, S. S. vuole, che „ si osservino come cantano, e si aggiunge obbligo, „ dove non è. E circa la difficoltà, che consiste in- „ torno l'ultimo Decreto fatto alli 6. di Maggio 1600., „ come s'abbia da praticare, S. B. ha ordinato si di- „ chiari a V. S. Illustriss., che sia lecito all'Abba- „ dessa, e Superiora di ciaschedun Monasterio di per- „ mettere alle Monache, che possa ciascuna di esse spen- „ dere qualche cosa delle sovvenzioni, che loro vengono „ date senza passar per le mani de'Ministri comuni de'Mo- „ nasterii, e senza obbligo di renderne altro conto, come fa-

ria

„ ria a ragione di un Scudo al Mese per servizj mi-
„ nuti, purchè si osservi nel resto il Decreto come sta.
„ E benchè quanto alla Vita comune non intende S. S.,
„ che le Monache professe prima della riforma, le qua-
„ li non eleggono volontariamente, siano astrette ad
„ accettarla, come non le obbliga ne meno il suddet-
„ to Capitolo 45., così comanda, che non si riceva-
„ no nell'avvenire in modo alcuno Nonache all'Abi-
„ to, nè alla Religione, se non sotto la intiera ri-
„ forma, ed osservanza della vita comune, (*quod jam*
„ *in prædicto Capitulo eodem 45. fuerat ordinatum*), e
„ così in ciascuno de' suddetti casi V. S. Illustriss. si
„ compiacerà ordinare, che sia eseguita la santa men-
„ te di S. B. &c.

„ di Roma il dì 8. di Marzo 1602.

„ *Il Cardinal di Firenze*.

„ Sanctissimi D. N. Clem. Papa VIII. Ad tollenda
„ dubia, & difficultates, ortas super executione, &
„ observantia Capitulorum 45., & 46. Constitut. su-
„ per regimine Monial. Civit. Neapol., declaravit, ac
„ decrevit, Capitulum 45. observandum fore tantum
„ ut jacet in Monasteriis, in quibus jam fuit introdu-
„ cta, & acceptata a majori parte Monialium vita com-
„ munis: in aliis vero, in quibus retinentur hactenus
„ provisiones, & subventiones in illa parte tantum,
„ in qua mandatur, ut si quæ Moniales hujusmodi san-
„ ctam, & regularem vivendi rationem elegerint, &
„ earum bona a se abdicaverint, & Monasterio cesse-
„ rint, superior Monasterii renuntiationem hujusmodi
„ recipere, & ex Monasterii bonis in his, quæ ad vi-
„ ctum, & vestitum, ac reliquam vitæ sustentationem
„ pertinent, illis providere teneatur; Moniales vero,

„ quæ

„ quæ post easdem Constitutiones receptæ fuerint, vel
„ in posterum admittentur in eisdem Monasteriis, in
„ quibus subventiones retinentur, nullatenus invitæ co-
„ gantur ad vitam communem, sed teneantur obser-
„ vare Capitulum 46. cum declarationibus inde secutis
„ sub die 6. Maii 1600., & 5. Martii præsentis an-
„ ni 1602. Ille autem Moniales, quæ in eisdem Mo-
„ nasteriis reperiebantur professæ ante Constitutiones,
„ quibus idem Capitulum 46. observare non placuerit,
„ privatæ sint omnino voce passiva, donec resipiscen-
„ tes tam sanctum institutum acceptaverint. Easdem
„ porro Constitutiones omnes innovans Sua S. manda-
„ vit in cæteris omnibus observari, & executioni de-
„ mandari.

„ Romæ 26. Junii 1602.

„ *Alex. Card. Florent.*

Hæc omnia apud Quaranta loco laudato reperiuntur.

Sed inter omnia digna sunt quæ afferantur ea, quæ in hanc rem habet doctissimus, simulque prudentissimus Pontifex Bened. XIV. in Opere vere aureo de Synodo Diœcesana in quibus omnium summa, quæ dici possunt, paucis contineri videtur.

Postquam igitur Cap. 12. Lib. 13. multa hac de re dixit, & Episcopis præscripsit, num. XXI. pag. 340. hoc modo pergit. „ Hæc omnia, inquit, non eo con-
„ silio afferuntur, ut improbetur studium eorum Epi-
„ scoporum, qui in Monialium Cænobia perfectam vi-
„ tam communem invehere pro viribus conantur; su-
„ perius enim affirmatum fuit, commendabilem eam
„ esse, Constitutionibus præterea nonnullorum Monaste-
„ riorum fuisse præscriptam, plurimumque conducere
„ ad paupertatis votum religiosius custodiendum, &
„ sar-

„ sartam, tectamque servandam monasticam discplinam; „ quibus insuper addemus, a Sacris Congreg. pluries „ insinuatum fuisse Episcopis, ut non alias sinerent „ Monasteria ingredi, & in iis Religiosam Professio- „ nem emittere præter illas, quæ se communis vitæ „ instituto religiose custodiendo promptas, paratasque „ exhibeant, uti videte est epud Fagnanum in Cap. „ *Monachi* num. *69. De statu Monachorum*. Sed quæ „ supra diximus ad hoc exposita fuerunt, ut priusquam „ manus operi admoveatur res diligenter pertentetur: „ in primis annuus Monasteriis census supputetur, ut „ compertum fiat, an necessariis omnibus ejusdem ex- „ pensis sufficiat; deinde ne minis, atque terroribus, „ sed hortationibus, & spiritualibus exercitiis revocen- „ tur Moniales ad exoptatam collapsæ disciplinæ in- „ staurationem: audiantur prius omnes, & singulæ, „ non quasi ipsarum in id colligantur suffragia, vel „ consensus exquiratur, sed ut earumdem exploretur „ animus, & deprehendatur, an, & quæ hujusmodi re- „ formationi libenter aquiescant, aut contra obluctén- „ tur, & quo in numero recenseantur illæ, quæ æta- „ te, aut auctoritate graviores habentur. Id omne col- „ ligitur ex pluribus responsis a duobus Congregatio- „ nibus, nimium Episcoporum & Regularium, atque „ Concilii datis ad postulata Episcoporum, qui ab ip- „ sis consilium, opemque implorarunt, ut propositum, „ quod meditati fuerant, invehendæ in Monasteria sua- „ rum Diœcesium vitæ communis ad optatos exitus „ possent perducere. Servetur itaque rerum omnium „ perfecta communio, ubi illa viget. Detur opera et- „ iam, ut ubi non obtinet introducatur, sed semper „ præ oculis habeantur quæ plurimæ se se obiiciunt „ difficultates. Cumque de opportunis adhibendis re- „ mediis cogitatum fuerit, si haud temere coniiciatur „ fore, ut tentatum opus in irritum cedat, vel eo

„ suscepto plus incommodi sit inde pertimescendum, „ quam sperandum utilitatis, res in aliud tempus protrahatur: interea vero in id studium omne, atque „ industria conferatur, ut Monialium singulæ in communem arcam Monasterii pecuniam inferant, quam „ ex annuis præstationibus sibi, postquam professionem „ emiserunt, constitutis recipiunt, seu quam suarum „ manuum laboribus lucratæ sunt, atque lucrantur; „ utque de universa peculii summa Superiorissam certiorem faciant, nec sine præobtento illius consensu „ pecuniis utantur, & tunc quidem in causas tantummodo honestas, & necessarias, ab eadem Abbatissa „ approbandas; eisque demum efficaciter suadeatur, & „ aperte denuntietur, nullum iis esse hujusmodi peculii dominium, sed merum usum, huncque, ut superius diximus, omnino subjectum Præpositæ arbitrio, „ ac voluntati, ideoque eas semper paratas esse oportere nullis objectis impedimentis, sed æquo potius, „ libentique animo assentiri, ut eadem Præposita, sic „ exposcentibus Monasterii rationibus, in illius sublevandis indigentiis pecunia ab ipsis deposita utatur. „ hæ omnes conditiones recensentur ab Auctoribus, „ qui hac de re tractarunt, eorumque dicta collecta „ leguntur in Tractatu de Vita communi Romæ impresso an. 1695. De illis & nos verba fecimus in „ nostro Opere de Canoniz. Sanctor. Lib. 3. Cap. 41. „ num. 12. Cumque deinde aliquis nimia severitate eas „ in suis Operibus oppugnaverit, quædam typis traditæ fuerunt responsiones, anonyma altera Veronæ cusa, altera Patris Milante ex Dominicana Familia, „ in quibus præmissorum omninm æquitas validis rationibus asseritur, & propugnatur. Hactenus supremus Antistes Bened.

Quoniam vero hæc Pontificis doctrina cum pluribus Sacr. Congregat. responsis, ut ipsemet affirmat, con-

for-

formatur, juvat hic unum saltem exemplum afferre. Hoc autem traditur a Ferraris Tom. V. Promptæ Biblioth. pag. 240. num. 71. in hæc verba.

Unde ut Moniales (inquit tradendo conditiones necessatias ad peculii retentionem ubi non extat Communitas) *in Monasteriis ubi non adest vita communis, possint licite exigere, retinere, & expendere Livella, debent quinque conditiones, seu circumstantiæ concurrere; prima scilicet quod habeant dependenter a voluntate Superioris; secunda ut sint paratæ peculium consignare ad nutum ejusdem Superioris; tertia ut pecunias convertant in licitos, & pios usus, & decentiam earum status; quarta quod non sit peculium superfluum; quinta quod sit penes capsam Depositi, seu Ærarium commune. Donatus* prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 15. q. 11., & 19., *& alii plures ibi citati;* Monacelli p. p. tit. 11. form. 20. num. 4. & 6., *ubi habet, quod hæc* Donati *theorica potest tute practicari, & tolerari pro ut tolerari posse declaravit* Sacra Congregat. in una Cesenaten. *pro Monasterio S. Claræ illius Civitatis rescribendo sub* die 12. Martii 1693. *in obsequium Card.* Benhoff *tunc Episcopi vitam communem desiderantis*. Ad mentem, *referente Eminentissimo Card.* Acciajolo; *& mens fuit, quod circa vitam perfecte communem nihil esset innovandum*.

Jam vero super hasce Ordinationes complura in rem præsentem notanda sunt.

1. Regularibus præcipi fidelem observationem tum Votorum trium principalium, tum aliorum Votorum, ac præceptorum illis peculiarium ad illorum essentiam, nec non ad vitam communem pertinentium: neque posse in hac essentia quidquam a Superiuribus relaxari.

2. Præceptum de vita communi esse collectivum simul & distributivum, hoc est afficere omnes quidem simul & singulos tam Superiores, quam subditos, sed primo tamen Superiores, secundo, & minus principa-

liter subditos. Nam illis primo incumbit procurare, ut commnnitas erigatur; reddituum, aut eleemosynarum summam examinare; atque quotus Fratrum numerus statuendus sit judicare, ac determinare &c.; istis vero morem gerere (cum iis tamen conditionibus alias assignandis), & parere.

3. Vitam hanc communem, seu Communitatem duobus præcipue universim contineri, nempe repositione omnis suppellectilis in aliquo loco communi, ut ordinavit Cl. VIII. ut supra ff. 9., & pecuniæ incorporatione, ac permissione in Ærario communi; ita ut ex rebus nemo ad usum habeat, nisi quod., & quantum ex eo comuni loco a Superiore per Officiales opportune subministratur.

4. Quod ad Fratrum sustentationem attinet præcipi, ut nihil illis superfluum concedatur, sed nihil etiam necessarium denegetur. Ubi hæc duo *superfluum*, & *necessarium* intra se contraponi, adeoque in eadem, æqualique latitudine sumendum esse unum ac sumitur alterum compertum est.

5. Promiscue in his ordinationibus usurpari has voces *necessarium*, *commode*, *competenter*, *sufficienter*, *honeste:* ex quo evidenter liquet, *necessarium*, & *sufficiens* non sumi rigorose, & stricte, sed large; & accommodate, nempe etiam pro *competenti*, & *commodo*, proindeque has voces *necessitas*, *sufficientia*, *commoditas*, *competentia*: *necessarium*, *sufficiens*, *commodum*, *competens*: *necessario*, *sufficienter*, *competenter*, *commode* hac in re, & comparate ad Paupertatem Regularium haberi fere pro Synonimis, eamdem significationem præ se ferre.

6. Hæc de hujusmodi *necessitatis* natura, atque qualitate dicta intelligi de, & pro omnibus Regularibus, nullis exceptis. Quod patet ex illis verbis *possidentium*, *vel non possidentium*; & *ex redditibus*, vel consuetis eleemosynis; & *in prædictis autem Monasteriis*, *& Domi-*

mibus. Ex quo tandem manifeste evincitur quod in Notis Innoc. IV. ff. *Tandem* affirmavimus, nimirum ne dum Pontifices, qui etiam post Nicol. III., & Clem. V. Declarationes hac de re tantummodo, pro Nostris locuti sunt, sed etiam Concilium ipsum Trideutinum, aliosque deinceps Pontifices, qui communem pro omnibus Regularibus de re eadem doctrinam tradiderunt, *necessitatis* naturam etiam ad *utilitates*, & *commoditates*, sicut Innoc. IV., & Alex. IV., extendisse; ac propterea doctrinam hanc primo ibi a nobis statutam, deinde pluries confirmatam, & veram, & totius Ecclesiæ esse.

Sed & illa a Paulo V., & Urb. VIII. superaddita verba *juxta Regionis*, *& Instituti morem &c.* etiam specialius consideranda sunt. His etenim magis adhuc indicatur, provisionis, aut sustentationis *sufficientiam*, *commoditatem*, *competentiam*, utpote attendendam etiam ex locorum circunstantiis, non absolutam, sed maxime respectivam, ideoque latiorem esse posse. Nam constat quoad rerum usum diversos esse mores in Gallia, Hispania &c., sicut & apud diversa Ordinum Instituta.

7. Cum dicitur Superior super mobilibus dispensare, aut licentiam dare non posse, id non intelligi absolute, quasi nihil ad usum concedere possit: nam hoc manifeste contradicit Tridentino cap. 2. & Clem. VIII. ff. 5., ubi rerum usus concedendus præscribitur; sed intelligi conditionate, nempe non posse concedere, ut habeatur aliquid tanquam *proprium*, vel ut habeatur aliquid *superfluum*, ut ex ipsomet cap. 2., & ff. 5. & 8., & ex Quæst. 2. Sacræ Congreg. liquido colligitur: quibus etiam addi potest; non posse concedere plura ad peculiares usus, *supposita Cammunitate*, a qua sola necessaria identidem singulis danda sunt.

8. Circa usus superfluitatem, vel convenientiam in mobilibus S. Congreg. loqui de omnibus Regulari-

 bus,

bus, ab eaque pro omnibus statui quod etiam pro Nostris specialiter statutum est in Declaratione S. Bernard. supra Num. IX., scilicet Subditos judicio Superiorum stare debere (habita tamen ratione ab eadem Congreg. explicata), nisi certo excessum agnoscant; quæ certitudo per eam vocem *constiterit* insinuatur. Ubi etiam subtilius peculiariter observandum est, S. C. non loqui de usus defectu, atque arctitudine, sed de *excessu*: ex quo colligere licet, Superiores juxta illius sensum, moderatum mobilium usum benignius, ac discretius extendere potius, quam arctare posse, ac solere, iisdemque propterea hujuscemodi usum potius extendentibus, quam arctantibus a Subditis standum esse, nisi de extensionis *excessu* constet: unde mobilium usus, alioqui *moderatus*, potius adhuc amplior, quam strictior ex hoc licitus comprobatur.

9. Ubi perfecta vita communis de facto non observatur, aut observari non potest, servandum esse saltem peculii Depositum in Ærario communi, seu in capsa communi: quod licite haberi potest separatum, minimeque incorporatum, & in solos proprios usus, seu necessitates, seu illorum, qui peculium deponunt, vel *in totum* (hoc est integre pro se) vel *pro parte*, *ut opus esset*, sive in communi Libro, sive in peculiari quodam signetur (nam hoc nihil obstare, ac perinde esse patet), modo his conditionibus id fiat; nempe ut fideliter peculium Superioribus notificetur, & consignetur; ut sine illorum præhabito consensu Frater eo non utatur; ut non utatur, nisi in suas necessitates &c. a Superioribus approbandas. Ut nullum dominium circa id peculium habeatur, sed purus usus, isque semper Subjectus Superiorum voluntati, adeoque semper revocabilis; ut denique animus vere paratus habeatur ad assentiendum, ut Superior eo peculio in communibus Conventus indigentiis sublevandis, si opus

pus fuerit, utatur; non vero ut de facto residuum peculii, habita provisione peculiarium necessitatum Fratris, vel in communi Ærario sit cum pecunia communi statim incorporandum, ac confundendum, aut in Monasterii necessitates de facto erogandum, aut ad hæc Superior facienda teneatur, atque ideo peculio remanente Fratres confestim privandus, ut alias, sicuti Superius apparet, ordinatum est; sed ut Superior, si oporteat id facere (suppositis conditionibus, quas suo loco tangemus) possit, ut ex verbis Bened. XIV., quibus ultima conditio asseritur, colligitur. Nam iterum dico a Pontificibus in hac re diversimode determinari potest, & porro determinatum est, sicuti ex Superius traditis constat.

Item etiamsi peculium per Officiales tum exigi, tum expendi deberet, sicuti Clem. VIII. &c. ordinaverat, tamen posse Superiorem permittere, ut Subditus non per Officiales, sed per se ipsum expendere possit, & consequenter apud se habere, ac retinere, ex suo peculio aliquid e. g. unum Scutum per singulos menses, absque eo quod rationem de hoc ullam iis reddere teneatur.

Hoc autem, quod de peculii repositione saltem facienda in capsa communi, ubi communis vita servari nequit diximus, jure optimo ab Ecclesia Regularibus injunctum est; quia si Concilii Decreta in totum observari non possunt, saltem ex parte, & in eo, quod propius ad communem vitam accedit, observari æquum est. Depositum autem hujusmodi propinquius ad illam accedit, quia nihil aliud est, quam prævia quædam, & proxima dispositio ad perfectæ Communitatis introductionem, atque ideo inchoata Communitas est (quis enim non videt, Superiores peculia hujuscemodi ita deposita integre Monasterio facilius incorporare posse?) id quod clare asseritur a Mastrio ubi supra num. 44.,

& a Vincentio Puccini Trattato della Proprietà pag. 72., ubi etiam refert ex Silvest. Minor. in Spec. Regul. Observ., Pium V. voce sæpius Generalibus S. Franc. declarasse, suæ intentionis esse, ut observantia Depositi sit dispositio præambula ad introductionem perfectæ communitatis. Tantum abest, ut peculium depositum separatum aptum natum sit ad communitatem potius destruendam, aut impediendam, quam ædificandam, aut procurandam, quemadmodum nonnulli justo severiores falso, ne dicam stulte, opinantur.

10. Regularesp rofessos ante Reformationem quoad vitam communem, qui eam libenter non eligunt, non esse adstringendos ad illius acceptationem: si tamen in aliquibus Monasteriis communitas a majori parte jam sit introducta, & acceptata, (nam pars major trahit ad se minorem, ideoque pro tota Communitate sumi solet, ut notum est) teneri etiam cæteros illam acceptare: in iis, in quibus peculia retinentur, *nullatenus invitos cogi posse ad vitam communem* eos, qui etiam *post easdem Constitutiones Reformationis recepti fuerint, vel in posterum admittentur*: in his ipsis Monasteriis, teneri Superiores recipere renuntiationem ab iis, qui volunt hanc perfectam communem vitam eligere, illisque *præcipue ex bonis Monasterii providere, ita opportune subministrando omnia quoad victum, & vestitum, & reliquam vitæ sustentationem, ut nulla re indigeant*; quod est idem ac omnes eis *necessitates, utilitates, commoditates, moderatas*, & *competentes* respective subministrare: nam hæc omnia ex cap., seu num. 45. Constitut., & ex Epist. Cardin. Florent., nec non ex Declaratione Clem. VIII. 1602. colliguntur.

11. Qua prudentia atque circumspectione Superioribus opus sit in introducenda de novo, & exigenda vita communi in Regularium, aut Monialium Conventibus, ne inde plus incommodi, quam utilitatis oriri possit,

possit, & frustrari contingat optatis, ut ex traditis a Bened. XIV. liquet.

12. Tandem vitam communem non esse absolute necessariam ad paupertatis Votum observandum, sed solum *commendabilem*, atque *plurimum conducere* ad illud *religiosius*, hoc est perfectius *custodiendum*, uti idem Pontifex asseruit; adeoque Religiones etiam sine communi vita & veras, & sanctas, & expetibiles esse: ex quo quid peculiariter consequatur alio loco dicemus.

Porro Ordinationes præfatæ per hujusmodi adnotationes idcirco a me generatim ad omnes Regulares applicatæ, & extensæ sunt, quamvis ex illis multæ non nisi pro Monialibus, & quidem peculiariter editæ sint, quia cum tam Viri, quam Mulieres regulares eadem omnino essentialia tria Vota, eodemque modo profiteantur, pares quoad hoc prorsus sunt, & quia proinde cum utrobique eadem ratio militet, aut militare possit, eadem etiam Legis, permissionis, indulti, declarationis dispositio intervenire præsumenda, atque interpretanda est: quæ est ratio, cur Tridentinum in Decretis Reformationis cum mulieribus pariter regulares viros conjunxerit: imo viri, cum pluribus indigeant, in hac re potiores sunt.

Et hæc quoque omnia velut historica ad tertiam quæstionem pertinent.

Nunc ut quæ de Syndicorum institutione, & usu; de *necessitatis* natura, & qualitate, pro qua recursus fieri debet; & de iis, qui possunt recurrere, ut principio diximus, prænoscenda erant, ex omnibus narratis hactenus, & observatis tam super Regulæ Declarationes, quam super Ecclesiæ de Vita communi Ordinationes, in summam colligantur, tria omnino habemus.

1. Quantum ad Syndicorum institutionem quadruplicem ejus veluti formam assignari posse. Prima diminuta,

nuta, & imperfecta. Hac forma eorum facultas extendebatur tantum ad res mobiles distrahendas, earumque pretium recipiendum, & expendendum. Ista cœpit a tempore Innoc. IV., & duravit ad usque Nicol. III. Secunda paulo plenior, sed adhuc diminutior. Per hanc extendebatur etiam ad res, præsertim Testamento legatas, distrahendas ut supra. Hæc cœpit ab eodem Nicol., & duravit usque ad Mart. IV. Tertia multo plenior. Hæc extendebatur etiam ad pecuniam sponte datam, maxime testamento relictam. Ista incœpit ab eodem Mart. IV., & duravit usque ad Martin. V. Quarta tandem plenissima, & completa. Per hanc extenditur tam ad res omnes, quem ad pecunias qualescumque. Hæc cœpit a Mart. V., sed clarius adhuc, & peculiarius expressa, & completa postea a Paulo IV., & Pio IV: & hæc in præsentia perseverat. Ex quo illius initia, incrementa, & complementa cernere licet.

2. Quantum ad naturam *necessitatis* eam habemus per omnes has voces *necessitas*, *utilitas*, *commoditas*, *commodum*, *moderatus* usus, *honesti casus*, seu usus, *res honestæ*: *commode*, *competenter*, *sufficienter*: *pro ut* etiam Superioribus *videtur expedire*, significatam. Hujus autem *necessitatis* judicium, & curam præcipue ad Superiores pertinere, tamen etiam Subditis ab iis committi posse. Item habemus omnes illas *necessitatis* conditiones, seu *arctationes* positas a Nicol. III. & Clem. V., fere ab omnibus aliis Pontificibus tam postea, quam antea (excepto Greg. IX., qui sola conditione de *necessitate præterita*, *præsente*, *vel imminente* usus est) omissas.

3. Denique quantum ad Recurrentes, & Recursum habemus, non solum Superiores, verum etiam & subditos Fratres ad pecuniam de illorum *scitu*, vel *assensu* recurrere posse.

DE-

DEFINITIONES.

ADmoneo Lectorem, me in his Definitionibus eas tantum notiones ponere, quæ rem explicant, atque definiunt quantum ad propositum opus, & satis est, relictis cæteris, quæ subtilius, & plenius addi possent, sed ad illud non faciunt.

DEFINITIO I.

P*Roprium* est, de quo disponi omnino potest libere, & independenter ab alterius arbitrio, aut voluntate.

Quare loquendo de Regularibus proprium dicitur, de quo disponitur omnino independenter a Superioris voluntate.

Baudinus Differt. Canon. de Vita communi Regul. pag. 165. num 2. *proprium* distinctius, ac peculiarius definit hoc modo. *Proprium dicitur quidquid celatur Prælato suo, vel tenetur contra ejus voluntatem: proprium dicitur quidquid venditur, donatur, pignoratur, commutatur, vel quovis mobo alienatur sine licentia expressa, tacita, vel præsumta sui Superioris*. Sed nostra definitio utpote universalibus, paucioribus licet, concepta verbis, hæc omnia, & cætera alia comprehendit.

Vanespenius p. 4. Oper. pag. 100. *proprium* definit esse illud, quod propriis usibus, utilitatibus, atque commoditatibus appropriatur, seu quod reservatur tantum, & cedit in proprium, & peculiarem usum, utilitatem, & commodum. Docet enim rerum temporalium utilitatem, sive commodum præcipue, imo pene unice in earum usu consistere. Ex quo infert, habere peculium, seu pecuniæ depositum peculiare, & suis tantum usibus reservatum, esse habere proprium, quia pro-

proprium, & peculium Synonyma sunt; adeoque peculium in Regularibus pugnare essentialiter cum Voto paupertatis, & consequenter non posse haberi neque dependenter a nutu, ac voluntate Superioris. Admittit quidem in rebus necessariis hanc dependentiam sufficere, & locum habere posse, ut proprietas excludatur, quia in his usus simplex facti distinguitur, ac separatur a proprietate, in peculio vero non admittit, quia in hoc ejus usus a dominio proprietatis separari non potest.

Sed nostra definitio, & inde elicita contraria doctrina communis est, & traditur etiam a Benedict. XIV. peculium permittente, ut in historia apparuit, & magis adhuc in Resp. ad Arg. Concl. V. apparebit: quare ab ea recedendum non est.

DEFINITIO II.

P*Aupertas Religiosa* est abdicatio proprii, & superflui. Scilicet in rebus temporalibus. Quid sit superfluum ex XV. Definitione apparebit. *Proprium* autem hic sumitur juxta notionem præcedentem: & juxta hanc definitio ipsa Religiosæ paupertatis communis quoque est.

Porro additum est *superflui*, non quod statuendum certo sit, etiam hujus addicationem ad Religiosæ Paupertatis essentiam pertinere. Non enim me latet, esse Doctores plerosque, qui putant non peccare Subditos habentes superflua de Superioris facultate contra Votum Paupertatis, eo quia hujusmodi facultas ab eo, etsi illicite, valide tamen dari possit. Sed cum superflua a Tridentino Regularibus omnibus certo interdicantur, simulque interdicatur, ne a Superioribus concedi possint, sive hoc ad Voti essentiam pertineat, sive ad Ecclesiastici præcepti vigorem illud moderantis, Regulares uti nequeunt superfluis: ob idque quod Religio-

sa

ſa Paupertas in *proprj*, ac *ſuperflui* addicatione conſiſtat, in Definitione poſitum eſt.

DEFINITIO III.

Recipere *pecuniam per ſe* eſt eam abſque alterius interventu, ſed in propria perſona civiliter, & politice recipere in uſus proprios, vel alienos convertendam, aut quomodolibet diſponendam.

DEFINITIO IV.

Recipere *per interpoſitam perſonam* eſt propria auctoritate, & jure alium ſubſtituere, qui pro ſe illam proprio nomine, aut jure recipiat, de eaque pro ſe quomodocumque diſponat.

DEFINITIO V.

Recurrere, ſeu *Recurſus ad pecuniam* eſt procuratio, ſeu requiſitio ſolutionis, vel emptionis faciendæ pro rebus neceſſariis, quatenus præciſe per pecuniam fieri debet, & eo fine, ac animo, ut per pecuniam fiat.

Hæc omnia verba in Definitione poſita ſunt, ut clare explicetur, in quo præciſa, atque formalis *Recurſus* hujuſce natura conſiſtat: quod ad rectam præcepti Regulæ intelligentiam valde neceſſarium eſt. Itaque per verbum *procuratio*, aut *requiſitio* excluditur ſpontanea quælibet Amicorum Spiritualium vel oblatio, vel executio ſolutionis emptionis rei neceſſariæ per pecuniam ſine Fratrum interventu, aut requiſitione. Hoc etenim modo non *procuratio* ſed nuda ſpontaneæ oblationis acceptatio eſt. Per verba *ſolutionis*, *vel emptionis &c.*, primo ſignificatur, *Recurſum* hujuſmodi proprie locum ha-

habere in duobus casibus, nempe vel cum re jam comparata, procuratur ejus solutio, vel cum illa res emptione jam comparanda est; deinde excluditur procuratio rei in propria specie, quamquam ea alias sit per pecuniam empta, vel emenda sit; quæ pecuniæ solutio principaliter, & directe non intenditur a Fratribus, sed res ipsa, etsi pecunia, comparetur: ut si principaliter procuretur, ac petatur panis, quamvis sciatur, quod per pecuniam emi solet, aut emendus sit.

Ex his porro liquet, (quod attente notandum est) quod pecuniæ *Receptio per se, vel interpositam personam; acceptio*, seu *admissio*, & *Recursus* ad pecuniam, quæ omnia prohibentur; inter se diversa sunt. Item quod sunt diversa pecuniæ *Depositio*, *Retentio*, & *Incorporatio* in capsa communi, ideoque quod unum sine alio esse potest. Sic contingere potest, quod pecunia quidem vel apud Amicum privatum, vel apud Syndicum deponatur, sed non retineatur, eo quia confestim pro aliqua necessitate consumetur: vel etiam retineatur, sed ad eam non recurratur, quia nulla occurat necessitas pro recursu; & ut ea minime incorporetur, quia non pro communi necessitate, sed pro alicujus Fratris particularis utilitate ab Amicis Spiritualibus tribuatur, ac deponatur.

DEFINITIO VI.

Amicus Spiritualis est qui vel sponte, vel rogatus confert pecuniam pro Fratrum necessitatibus; vel quicumque circa illam, aliquod ejusdem jussu, nomine, jure, auctoritate ministerium habet.

Nempe ejus Substitutus, Depositarius, Nuntius, aut quilibet hujusmodi. Nam hi quoad hoc respectu Fratrum, Amicorum Spiritualium personam induere dicuntur. Ex quo colligitur, Amicum Spiritualem a Feli-

lice Poteſtate Tom. I. Exam. Confeſſ. pag. 120. num. 1147. nimis ſtricte, ac diminute eſſe definitum. Illum enim definit, ſeu ſumit pro Perſona tantum ſubſtituta a principali Dante.

D E F I N I T I O VII.

S*Yndicus Apoſtolicus* eſt Procurator Sanctæ Sedis, qui ejuſdem auctoritate, nomine, jure, juſſu res omnes, & potiſſimum pecunias recipit pro Fratrum neceſſitatibus expendendas, omneſque Actus civiles exercet ad eaſdem pertinentes.

Quapropter non eſt *interpoſita perſona*, ſed *Amicus Spiritualis Subſtitutus*. Quod etiamſi non fuiſſet declaratum expreſſe a Clem. VII. ut ſupra Num. XI., tamen patet vel ex ipſis Definit. IV., & VI. Non recipit autem tamquam Procurator Sanctæ Sedis niſi res, & pecunias, ſuper quibus Dantes non reſervant ſibi dominium, vel quæ ex ſui natura ſub nullius eſſent dominio, aut ſub incerto dominio remanerent. Et hæc quidem de Syndici notione, & qualitate viderentur ſufficere: Sed quoniam ab exacta iſtius intelligentia quæſtionis præſentis ſenſus, & reſolutio maxime pendet, de iis, quæ ad ipſum pertinent, fuſius, atque diſtinctius dicendum eſt.

Itaque primo Syndicus propter hos fines a Pontificibus inſtitutus eſt, nempe ut nomine Eccleſiæ diſponat de rebus omnibus, & præſertim de pecunia, Fratribus Minoribus conceſſis, tanquam ad eamdem pertinentibus, cum illi neque in particulari, neque in communi illius juridicæ diſpoſitionis capaces exiſtant; ut iiſdem ſubtrahatur occaſio, & incommoditas vagandi, ſeu recurrendi toties quoties ad Sanctam Sedem: ut pro illis in Judicio, & extra, cum opus fuerit, ejuſdem nomine juridice agatur; ut Bona Fratribus

utcum-

utcumque relicta, aliquando sub nullo, vel sub incerto dominio minime remanerent: ut Dantium quoquo modo Fratribus eleemosynas pia intentio non fraudetur: ut Hæredum, vel executorum negligentiis, ne Fratres relictis sibi in Testamentis fraudentur, obvietur: ut Fratres liberius, & quietius divinis vacare possint obsequiis: ut animarum eorum periculum evitetur: ut Fratrum libertas quantum ad pecuniæ recursum magis arctetur: ut Fratrum necessitatibus facilius, & commodius sine conscientiæ læsione provideatur: ut denique non solum pure, sed etiam purius, & perfectius Regulæ observantia servetur, & custodiatur: nam hæc omnia ex Innoc. IV., Mart. IV., Clem. VII., Pauli IV., & Innoc. XI. Declarationibus colliguntur. Ex quo duo consequuntur, alterum, Syndicorum institutionem esse optimum, ac pene divinum Pontificum inventum ad Regulæ observationem; alterum, Fratres non solum licite, & sancte, sed etiam sanctius, & perfectius iis uti posse, imo etiam fere semper uti, ut infra dicemus, debere.

Præterea Syndicus duplicem personam sustinere potest, nimirum vel Procuratoris, seu substituti generalis constituti a Summo Pontifice, qui utpote habens dominium omnium rerum, quæ Fratribus aquiruntur, (nam sicut Regulares in communi possidentes quidquid aquirunt Monasterio aquirunt, ita Fratres Minores quidquam ne quidem in communi possidentes, non Monasterio, sed Ecclasiæ, seu Pontifici aquirunt quidquid aquirunt) eorumdem principalis tam pro communitate Fratrum, quam pro Fratribus specialibus Spiritualis Amicus est; vel personam sustinet Substituti particularis constituti ab aliquo privato Dante, seu Amico spirituali, quoties id fieri contingat. Quamquam paæcise qua Syndicus non nisi primæ personæ vicem sustinere potest, & porro sustinet, ut patet.

Jam

Jam vero ille hoc secundo modo se gerit, aut se gerere potest erga eam pecuniam duntaxat, cujus dominium, aut dispositionem ipse Dans in ea concedenda vult *expresse* sibi reservatam: quod solum in pecunia liberaliter oblata, concessa, donata, relicta, vel etiam rogata locum habere potest, sed tamen perraro contingere solet, nempe ut dans sibi illius dominium *expresse* reservet, ut experientia fit manifestum. Primo autem modo se gerit erga quamlibet aliam pecuniam undecumque, & quomodocumque obvenientem. Itaque omnis pecunia sive sponte, sive rogatu liberaliter oblata &c., ut supra, data *absolute* sine ulla *expressa* dominii reservatione; sive data pro mercede laboris vel corporalis, vel spiritualis, ut pro Missis, Officiis, Prædicationibus, Magisteriis &c., a Syndico recipitur, ac recipi debet tanquam a Procuratore Summi Pontificis, ejusdemque Ærario debetur, quia illius est, quoniam in utriusque generis pecunia dominium a Dantibus abdicatur. Et quidem de pecunia secundi generis per se patet: quia mercedes laboris sunt veluti stipendia, quæ a Dantibus jure quodam naturali respectu Fratrum, itemque civili respectu Sedis Apostolicæ, rerum Dominæ, jure debentur, quamquam a Fratribus nullius civilis juris capacibus per modum duntaxat eleamosynæ recipiantur. De primi vero generis pecunia non minus liquet, quia cum Dantes in ea concedenda sibi ejus dominium *expresse* non reservent, imo ne quidem de hoc cogitent, quippe qui communiter ignorent hujusmodi *formalitates*, si dant *absolute*, jam illius dominium a se abdicare, ac in alium transferre censentur. Eapropter cum omnis hujusmodi pecunia alio dominio careat, neque in Fratrum dominium, ne quidem in communi, transire possit, necessario transit in jus atque dominium (ne sine ullo dominio existat) Sanctæ Sedis, ideoque ejus Gazæ debetur a

F Syn-

Syndico ejusdem Procuratore recipienda, ac fideliter dispensanda. Quocirca falluntur, & in Regulam committunt illi Fratres, qui pecuniam liberaliter aut sponte, aut prece *absolute* datam, & præcipue datam pro Missis, Prædicationibus, laboritio &c., in manibus privatorum Amicorum Spiritualium, seu Dantium, re perfecta, retinent proprio nutu, ac dispositione expendendam, quia Syndico consignare tanentur.

Utroque modo se gerens Syndicus Amici Spiritualis principalis voluntatem exacte semper adimplere debet, expendendo, retinendo pecuniam juxta ejusdem vel expressam, vel rationabiliter interpretatam intentionem; ideoque vel in necessitates generales, vel determinatas, ac vel pro singularibus Fratribus, vel pro tota Communitate, sicut ille velle indicatur, sive sit Pontifex ipse, sive alius Amicus Spiritualis principalis, cum uterque idem, eodemque modo velle possit. Similiter plures Substitutos tam pro Communitate, quam pro Fratribus singulis per se constituere potest. Et quidem primo modo se gerens, *ex Officio*, cum ex sua institutione substitutus, seu Delegatus Generalis Pontificis sit; secundo vero modo *ex expressa*, vel rationabiliter *interpretata* Dantis privati facultate, cum contingit ab eo pecuniam cum *expressa* dominii reservatione dari, ut supra diximus.

Ex his consequitur inter Amicos privatos principales, eorumque privatos Substitutos, atque Pontificem Amicum pariter principalem cum Syndico ejus generali Substituto, seu Procuratore, differentias præcipuæ esse duas, alteram quoad dominium, alteram quoad stabilitatem: nam si quæ forte aliæ assignari possint, eæ non ex parte illorum, sed potius ex parte Fratrum stare dicendæ sunt. Quoad dominium, quia respectu primorum Amicorum istud non habetur, aut haberi potest nisi pecuniæ primi generis conjunctæ cum *expressa*

sa dominii reservatione; respectu vero secundorum pecuniæ secundi generis, hoc est cujuscumque modo superius explicato. Quoad stabilitatem, quia primi sunt per se vagi, indeterminati, variabiles, privati, secundi vero per se fixi, determinati, stabiles, publici, communes.

Sequentes octo definitiones ex Juristarum textibus, ac doctrina fere omnes formatae sunt.

DEFINITIO VIII.

Necessarium generatim, & absolute est id, sine quo quidpiam fieri, aut haberi non potest.

Hujus multiplex divisio a Doctoribus assignari solet; ejusque propterea significatio non stricta, sed lata est. Verum plura de hoc dicere omnino supervacaneum est, quandoquidem quomodo *necessarium*, seu *necessitas*, pro ut ad rem præsentem attinet, sit sumenda, ex Historia jam apparuit, & ex dicendis Supp. XIX., & XX. magis deinceps apparebit. Potius aliquid de iis *necessitatis speciebus*, sive *conditionibus*, de quibus in Notis Nicol. III. verba fecimus, quasque Expositores nostri tractare solent, ad majorem intelligentiam, breviter dicendum est.

Ajunt itaque ipsi, quod *necessitas* nostra debet esse *vera*, non *fictitia*: quamquam hoc per se jam intelligitur. Quod *determinata*, non quidem in mente Fratris, quasi quod oporteat, ut Frater indigens v. gr. pannis, cibis, pharmacis, ad unum istorum determinet se, cum sibi esset integrum ad horum quodcumque se determinare; sed *determinata in se*, hoc est quod sit quædam certa in re indigentia ita, ut mente non sit laborandum ad hoc, ut *necessitates* excogitentur, ac inveniantur. Quod *propria*, non *aliena*. *Propria* est quæ vel est Fratrum in persona, vel quæ eorum intuitu,

 cau-

causa, occasione fit, ut sunt quæ eorundem servitio, emolumento, commoditate &c. fiunt. Quod præsertim vel *preterita*, vel *præsens*, vel *futura* sed *imminens*, non simpliciter *futura*, seu *possibilis*. *Præterita*, cum satisfaciendum est pro rebus jam emptis, aquisitis &c. *Præsens* quæ ita urget, ut non detur locus expectationi. *Imminens*, quæ de propinquo apparet, sive prævidetur certo, vel probabiliter brevi eventura. Ista vero duplex, vel quæ tractum temporis non habet, vel quæ habet, ut in pannis de longinquo emendis, Libris conscribendis, sicut suo loco exemplificat Pontifex Nicol. III. Simpliciter *futura*, seu potius *possibilis* quæ in eventu suo vel certitudinem, aut probabilitatem non habet, vel non nisi post multum temporis, cum tamen ei provideri possit quando eveniet, v. g. infirmitas, quæ contingere, iter quod institui posset, & alia hujusmodi.

Sed Quoniam *necessitas vera* esse potest vel *stricta*, vel *larga*, & *accommoda*, ut hactenus multipliciter vidimus, idcirco de utraque, quod esse debeat, aut sit *præterita*, vel *præsens*, vel *imminens* intelligi, & usui aptari potest. Sic, ut exemplis res fiat manifestior, si v. g. tempore Adventus, vel Quadragesimæ statuatur esse *necessitas stricta* habere ad prandium saltem unum ferculum, illudque pro crastino, vel pro decem, vel viginti dies haberi opportune vel in specie, vel per pecuniam jam existentem possit, ejus *necessitas* nunc non est taliter *præsens*, aut *imminens*, ut pro illo ad aliam pecuniam recurri possit, ideoque ad aliam recurri non potest; contra vero potest, si pro crastino, aut pro perendie &c. haberi non posset eo modo, ut liquet. Si autem statuatur esse *necessitas accommoda* habere ad prandium duo fercula, & unum quotidie aut in specie, aut per existentes eleemosynas certo habeatur, alterum vero aut quotidie, aut frequenter eodem modo ha-

haberi non possit, ejus *necessitas* jam erit vel semper *præsens*, vel semper *imminens*, ideoque pro hoc secundo ferculo quotidie habendo ad novam pecuniam recursus fieri potest. Idem dicito de aliis rebus *necessariis* similibus. Ex hoc exemplo tria colliguntur, quæ bene notanda sunt. 1. quod *necessitates*, sive *strictæ*, sive præsertim *accomodæ* in praxi possunt esse non solum aliquando *præsentes*, aut *imminentes*, sed etiam *frequentes*, quinimo *continuæ*, & *permanentes*. 2. quod alia est ratio *necessitatis* cujusquemodi spectatæ *absolute*, & *in se*, alia inspectæ comparate ad differentias temporis vel *præteriti*, vel *præsentis*, vel *imminentis futuri*: nam primum *directe* afficit personam, seu ejus *commoditatem*, vel *incommoditatem*, *indirecte* vero tempus; secundum vero *directe* tempus; *indirecte* personam, ut patet. 3. quod *necessitas occurrens per se* est *indifferens*, & *indeterminata* ad tempus *præsens*, vel *futurum* aut *imminens*, aut *remotius*, ut liquet ex ipsamet voce *occurrit*: sed cum de facto *necessitas occurrit*, non nisi *præsens* esse potest, ut pariter liquet. 4. Quod necessitas *occurrens* est per se necessitas *vera*, licet modo non sit *determinata*, vel *præsens*, vel *imminens*, sed simpliciter *futura*, quia quando *occurrit* fit *præsens*, & vere *occurrit*, ut similiter patet.

DEFINITIO IX.

SUfficiens quod de se solo sine alterius adminiculo ad effectum satis est.

Quod tamen non intelligitur *absolute*, & *stricte*, sed *comparate*, & *late*, habita nempe ratione omnium circumstantiarum personæ, loci, temporis &c., ut apud Juristas habetur.

DEFINITIO X.

MOderatum quod mediocritate consistens neque deficit omnino, nec excedit.

Mediocritas autem non in *indivisibili*, sed in *divisibili* consistit, ideoque, ut notum est, latitudinem habet.

DEFINITIO XI.

COmpetens quod convenit, vel quod mediocre est.

Etenim primo modo apud Juristas sæpe sumi solet, secundo modo apud Latinos, quo modo sumitur etiam in Clem. *Exivi* ff. *Licet*. Itaque hoc modo significat ut *moderatum*, primo modo ut *conveniens*, *congruens*, nempe personæ, statui loco, tempori, cæterisque circumstantiis.

DEFINITIO XII.

UTile quod nobis quoquo modo confert, vel usui est.

Scilicet quod etsi non est superiori modo necessarium, inservit tamen nobis ad emolumentum habita ratione circumstantiarum omnium minime indecens. Unde liquet *Utile* per se aliquantum latius patere quam *necessarium*.

DEFINITIO XIII.

COmmodum quod melius stare facit, vel minus pati finit habentem.

Apud Latinos significat idem ac *Utile*, *conveniens*, *emolumentum &c.*, sed philosophice agendo ita hoc lo-

co

co definiri poſſe, ac debere tum ex vi ipſiuſmet vocis, tum ex ejus uſu, præſertim apud quoſdam Pontifices, ut in Hiſtoria liquido apparet. Ita ex. gr. homini ſtudioſo *commodum* eſt habere aptius cubiculum ad ſtudendum, multo plures Libros, veſci cibis melioribus, ac ſalubrioribus, adiutores habere &c. Quare proprie loquendo *commodum* aliquanto latius adhuc patere quam *Utile* perſpicuum eſt.

ANIMADVERSIO.

NOta diligenter, me hoc loco non uti voce *commodum* ſecundum totam ſignificationis latitudinem, quam habere poteſt. Conſtat enim alias eſſe Regum, ac Principum, alias nobilium, alias aliarum diverſi generis perſonarum *commoditates*. Utor igitur pro *commoditatibus* non *magnis*, non *exceſſivis*, non *ſuperfluis*, non ad faſtum &c. ſed tantum pro *competentibus*, *honeſtis*, & *moderatis*: quod evidenter colligitur ex Notatione 4. in Hiſtoria N. XXII., ubi affirmo has voces in re præſenti habendas eſſe fere pro *Synonymis*, *eamdemque ſignificationem præ ſe ferre*. Unde etiam eſt, quod in hac, & præcedenti Definitione dico, *Utile* quidem *Neceſſario*, & *Commodum Utili* latius patere, ſed tamen addo *aliquanto*, ut ſignificem, hanc inter iſta latitudinem non magnam eſſe; quemadmodum etiam ex allatis a me exemplis apparet. Itaque, ut ſemel pro ſemper paucis dicam, ſcopus princeps in his Definitionibus ſic efferendis, ac diſcernendis eſt oſtendere, *neceſſitates* F. Min. tam juxta Voti naturam, quam juxta tum Eccleſiæ, tum Regulæ inſtituta, non eſſe *ſimpliciter* ſtrictas, ac rigoroſas (exceptis excipiendis ut infra), ſicuti quidam nimia ſeveritate opinantur, ſed *competentes*, *moderatas*, *honeſtas*, *commodas*: quæ eſt potiſſima ratio, cur id toties in hiſtoria ob-

servatum replicavimus, qua in re bene intellecta, & adeo clara nemo mihi, opinor, Adversarius esse jure merito potest.

Neque vero quod dixerim, eas voces &c. esse *ferre Synonimas*, ac nihilominus distinctis Definitionibus definierim, propterea id jure reprehendi potest. Nam cum illæ *simpliciter*, & omnino *synonimæ* non sint, sed inter se in aliquo differre sane cognoscantur, has volui, minutas licet, differentias rimari, atque explicare. Id quod theologico exemplo confirmari potest. Quamvis etenim *Subsistentiæ*, *Personæ*, *Suppositi* nomina sint fere *synonyma*, hoc est idem principaliter significent, omnimodam scilicet *naturæ Incommunicabilitatem*; tamen quia diversum respectum ad subjecta diversa, quibus attribuuntur, habent, idcirco distinctis, ut Theologi norunt, Definitionibus, definiuntur.

DEFINITIO XIV.

HOnestum quod ad virtutem quoquo modo pertinet, ejusque actum aliquem includit; vel etiam quod ab honestis personis geritur.

Nam utroque modo sumitur, & ad rem præsentem sumptum utroque modo facit.

DEFINITIO XV.

SUperfluum hoc loco quod minime est *necessarium*, videlicet quod non est neque *moderatum*, neque *utile*, neque *competens*, neque *commodum*, neque *honestum*.

Hæc definitio ex omnibus traditis hac de re, & observatis in Historia formata est, neque aliter cohærenter, ac vere formari potest. Cum enim *superfluum* per Tridentinum opponatur *necessario*, ut N. XVI. in Notis num. 3. patet; *necessarium* autem habeatur etiam per

voces

voces *moderatum*, *competens*, *utile*, *commodum*, *honestum* expressum, atque significatum, ut ex totius Historiæ Summa num. 2. pariter liquet; legitime conficitur, id esse *superfluum*, quod nullius istorum limitibus continetur, sed cujusque limites excedit. Quod tamen juxta doctrinam in superiori Animadversione explicatam intelligendum est.

Non me fugit, *superfluum* a multis, presertim ex nostris aliter solere, aut posse definiri. Nam ut alios omittam recens Auctor Pater Gabriel Angelus de Vincentia Reform. Provinc. in Exposit. practica Regulæ Italice elucubrata, atque Venetiis edita 1758. apud Modestum Fenzo pagin. 227. Reg. 1. *Superfluum* his verbis describit. *Superfluo*, inquit, *dee riputarsi tutto ciò, senza di cui si può con poco, o niuno pregiudizio alla necessità provvedere.* Quam descriptionem explicans subdit. *Il superfluo al necessario si oppone. Ora siccome qui necessaria diciam quella cosa, la di cui privazione qualche sorta recherebbe di pregiudizio; così superflua diciamo esser quella per lo contrario, la di cui privazione pregiudizio verun non apporta: e siccome la necessità alle volte risguarda la quantità, alle volte la qualità, alle volte la sostanza della cosa che vuol usarsi; così la superfluitade si deve attendere per rispetto o alla quantità, o alla qualità, o all' una, o all' altra di queste due circostanze.*

Sed definitio ista, etsi imperitis fortasse quibusdam videri possit verbis a nostra discrepare, re tamen cum ea convenit. Per illam etenim *utilitates*, & *commoditates moderatæ*, *competentes*, *honestæ*, quas nostra comprehendit, minime, sicut prima facie videri potest, excluduntur, sicuti ex tota doctrina ab Auctore inibi tradita manifeste colligitur. Ut namque præteream id, quod ipsemet statuit pag. 233. Reg. 3., nempe sicut *necessitatem*, ita *superfluitatem* non esse indivisibilem, sed

sed habere varios gradus, (quod nos ipsi Supp. XX. distinctius tradituri sumus) juxta quos aut graviter, aut leviter (aut nihil ajo ego) a Fratribus delinqui possit; pag. 229. Regul. 2., ubi docet, tam nimium in hac re rigorem, quam laxitatem nimiam esse fugiendam, quod per hanc suam definitionem excludere minime intendat etiam *utilitates*, aut *commoditates* prædictas a nobis significatas, insinuat his verbis. *Troppo rigore*, inquit, *sarebbe superfluo giudicare, è perciò ai Frati prohibito tutto cio, senza di cui, assolutamente parlando* (nota) *si può mantener l' individuo, ed eseguire gli Uffizj, perchè sarebbe questo un volerli obbligare all' uso ristretto, e povero delle cose. Ma sarebbe ancora lassità intollerabile il sostenere, che ai Frati sia lecito l' uso comodo delle cose, intendendo per uso comodo non solamente l' uso decentemente congruo allo stato nostro; ma in oltre l' uso d' ogni comodità corporale confacevole al senso*; (nota præcipue verba *decentemente congruo*, & *ogni comodità confacevole al senso*: id enim ipsum & nos docemus, ac docere intendimus) *poichè questo sarebbe un aprire la strada agli abusi, un fomentare le trasgressioni, un distruggere il vero spirito della Serafica Religione*.

Ex his itaque perspectum est, definitionem *superflui* nostram, iis verbis negantibus licet a nobis de industria conceptam, atque latius, quam par videri possit, se extendentem, & cæteris omnibus etiam de facie strictioribus conformem, &, quod caput est, conformem iis notionibus, quas ex ipsorum Pontificum doctrina & universim, & speciatim tradita hac de re habemus, uti jam observavimus, optimam denique esse, ideoque nos non nisi vera, & communia docere.

Hanc definitionem præ cæteris attendat Lector quia etiam in ea quæstionis cardo continetur.

DE-

DEFINITIO XVI.

Licentia est facultas faciendi aliquid valide, vel licite dependenter a voluntate Superioris concedentis. Multiplex assignari solet: *generalis*, *specialis*; *perpetua*, *temporalis*, *revocabilis*, *irrevocabilis*; *expressa*, *tacita*, seu *permissiva*; *actualis*, *virtualis*, seu *implicita*; & *præsumta*, seu *interpretativa*. Harum plures per se claræ sunt, aliæ paulo obscuriores, ideoque a diversis varie explicari, imo & confundi solent; hæ tamen in substantia, cujusmodi sunt, infra a nobis definiuntur.

DEFINITIO XVII.

Licentia *virtualis*, seu *implicita* quæ in *expressa* semel data continetur, ejusque virtute jam perseverat.

Ut cum v. g. Superior apud alios Regulares pecuniam per se contrectantes Subdito itineranti aliquam tribuit in suas necessitates. Hoc enim pacto quidquid de ea licite disponit, virtute illius concessionis facit.

DEFINITIO XVIII.

Licentia *tacita*, *seu permissiva* quæ cum certa Superioris scientia defectum liberæ, ac facilis prohibitionis, aut impeditionis conjunctum habet.

Sic cum Prælatus sciens, & videns Subditos disponere de aliquo non impedit, aut prohibet, dum libere, ac facile posset, *tacite* concedit, & concedere ex his circumstantiis prudenter judicatur. Quod si hoc fiat non in aliquibus, & aliquando, sed fere semper, & in omnibus (nempe licitis) *licentia* transire potest

in

in *consuetudinem*, seu *usum*, ideoque *consuetudo* ipsa; seu *usus* generaliter disponendi quædam generalis *licentia tacita* est.

ANIMADVERSIO.

NOta etiam hoc loco diligenter, me non sumere nomen *Consuetudinis* proprie sicut a Moralistis, & Canonistis usurpari solet, nempe pro *consuetudine* legem vel statuente, vel abrogante, quo sensu etiam eadem ipsa *consuetudo* altera lex fieri potest: Sumo ergo improprie; hoc est pro *usu* quodam generali, ac diuturno, qui *usus* tamen nullum jus Subdito unquam conferat, aut conferre possit, quin a Superiore semper, quotiescumque ei libuerit, queat revocari. Id quod ne dum ex verbis ipsis Definitionis, si attentius considerentur; sed & ex Suppos. multis, Concl. 8., & Corol. 4. in calce in prima Editione facile colligi poterat.

Porro hic *usus* quomodolibet diuturnus, si datur, in praxi ordinarie ab aliqua *expressa* Superioris *licentia* aliquando concessa ortum habet; licet nihil impediat, quin etiam a sola *tacita* quandoque oriri possit modo explicato.

DEFINITIO XIX., & ultima.

L*Icentia præsumpta*, seu *interpretativa* quæ neque *actualiter*, neque *virtualiter* expresse conceditur, aut concessa est, sed tamen daretur si peteretur.

Unde ista non existit actu, sed tantum potest existere; & raro, ac solum in quibusdam rebus ut plurimum magnis, ac difficilioribus locum habet.

SUP-

SUPPOSITIONES.

SEquentia Suppositiones voco, quia formata sunt ex superioribus certis Declarationibus, & Ordinationibus, atque ex communi, & indubia tum aliorum Doctorum, tum Nostrorum doctrina; ideoque in hac materia tamquam probata, ac certa supponenda sunt.

SUPPOSITIO I.

SYndicorum usus non solum ad formam Institutionis Nicol. III., & Clem. V., verum etiam Mart. IV. & V., ac Pauli IV., & Pii IV. legitimus, ac licitus est. Patet ex Declaratione Innoc. XI. N. XV.

Cor. Hinc quidquid ab istis Pontificibus de legitimo Fratrum ad Syndicos recursu, deque aliis ad hanc rem pertinentibus declaratum, dispositum, ordinatum, concessum, indultum, permissum quomodolibet, etiam favorabilius est, Fratribus licitum omnino est.

SUPPOSITIO II.

IN recursu ad Syndicos par omnino est conditio Subditorum, ac Superiorum de horum assensu.

Sensus est, quidquid licet Superioribus, licere etiam Subditis de eorundem voluntate.

Patet ex Pontificiis Declarationibus, in quibus de Fratribus omnibus hac super re sermo est, ubi Subditi a Superioribus non secernuntur, nisi quoad *judicium* de necessitate, *scitum*, & *assensum*.

Cor. Hinc tam Superiores, quam Subditi nequeunt recurrere, nisi ad ea, & iis modis, quibus tam in Regula, quam in Declarationibus respective continentur. Quocirca nec Superiores, nec Subditi recurrere possunt

pro

pro *vanitatibus*, *curiositatibus*, *superfluitatibus*, *rebus pretiosis*, *&c.*, Sed pro *competentibus*, *moderatis*, *honestis necessitatibus*, seu *commoditatibus*. Item nequeunt tenere apud Syndicum ne quidem pro Communitate Depositum pecuniæ excessivum, ad copiam, ad divitias, ad thesaurizationem ita, ut vitæ mendicitas omnino auferatur. Verum id fere nunquam, & nusquam apud nos contingere, & quidem magno incommodo nostro, experientia manifestum est, Nam fere nullibi non solum minime vere *commode*, sed ne quidem *arcte*, *ac stricte* sustentari, ut alias distinctius dicemus, nobis datum est.

SUPPOSITIO III.

Syndicorum forma, & usus, quod ad rem præsentem spectat, quatuor Actibus continetur.

Hi autem sunt. 1. *Depositum*, ac *Retentio* apud ipsum pecuniæ cujuscumque, præsertim juxta doctrinam traditam in Defin. VII. 2. *Administratio*, *expensio*, aut alius quicumque pecuniæ usus non nisi per ipsum. 3. *Recursus* Fratrum ad ipsum in *necessitatibus occurrentibus*, seu *pro tempore*. 4. *Recursus* tam Superiorum, quam Subditorum de eorumdem *Scitu*, vel *assensu*.

Patet ex Syndicorum Bullis relatis in Historia, in quibus hæc omnia expresse disponuntur, & ordinantur.

Porro ex his *Actibus* quatuor legitime colliguntur. 1. aliud esse pecuniæ *Depositum*, aliud ejusdem *Administrationem*, aliud Fratrum *Recursum* ad illud, sicuti etiam Defin. V. observavimus. Et quidem *Depositum* pecuniæ cujuscumque, excepta rogata (nam quoad hujusmodi pecuniam, tam apud Amicos privatos spirituales, quam apud Syndicum, prius esse *Recursum*, quam *Depositum* per se liquet:) primus *Actus* est, ideoque cæteris jam præsupponitur. 2. Hoc *Depositum* permanens, atque diuturnum, seu potius continuum es-

se

se posse, utpote quod ex pecuniis identidem provenientibus, & Syndico consignatis conflatum consurgere potest. Et profecto in praxi ita est: nam Conventus, nisi præ nimia paupertate alieno ære potius gravetur, aliquod pecuniæ *Depositum* pro *occurrentibus necessitatibus* apud Syndicum semper habet. 3. Nos non solum posse efficere, seu sinere, ut omnis pecunia (potissimum ex Missis, Officiis, prædicationibus &c, ut ex Def. 7.) Syndico integraliter consignetur, sed etiam ad id obligari, nulla habita ratione earum *arctationum*, seu *conditionum*, quas toties nominavimus, præcipue illius de necessitate *præterita*, *præsenti*, vel *imminenti*, ita ut aliter a nobis sine culpa fieri non possit. Cujus ratio evidens est, tum quia omnis illa pecunia Pontificis, ut ibidem docuimus, est; tum quia is propterea ordinat, ut Syndico consignetur. Quare qui secus facit, & furtum respectu Papæ committit, & non minus contra ejus mandatum, quam contra Regulæ præceptum operatur. 4. Per hanc Syndicorum formam, & usum, quo omnis pecuniæ *Depositum* apud eos faciendum præscribitur, fuisse quoad hoc *arctationes*, seu *conditiones* illas prædictas omnes omnino sublatas. Id quod etsi evidenter ex his consequi nunc cognoscatur, tamen quoniam in eo quæstionis præsentis essentia principaliter continetur, ideo ut evidentius adhuc appareat, Concl. II. a nobis ex professo demonstrabitur.

SUPPOSITIO IV.

Quantum ad Paupertatem inter Fratres Minores Observantes, & alios aliorum Ordinum Regulares sex universim omnino differentiæ sunt.

Quoad dominium 1., quod alii Regulares possunt habere possessiones, & redditus in communi.

2. Quod omnium tam immobilium, quam mobilium do-

dominium habent in communi. Unde omnes civiles Juris actiones per se facere possunt.

Quoad rerum usum 3., quod ordinarie certarum rerum usum arctum, ac restrictum peculiariter præscriptum non habent.

Quoad præsertim usum pecuniæ 4., quod pecunia apud illos in Conventu teneri, & servari potest.

5. Quod contrectari, & expendi per Superiorem, & Officiales destinatos.

6. Quod etiam per Subditos quoscumque de Superiorum facultate.

At Fratres Minores Observantes nequeunt habere redditus, aut possessiones, vel quidquid redditus sapit naturam ne quidem in communi: sed vivere debent de eleemosynis vel sponte oblatis, vel quæsitis, vel de mercede laboris sive corporalis, sive spiritualis, &c.

Nullius omnino rei mobilis, vel immobilis dominium neque in particulari, neque in communi habent, sed utroque modo simplicem usum facti. Quare nullam civilem Juris actionem circa rem quamlibet per se exercere possunt, sed solum per Syndicum nomine, & auctoritate Sanctæ Sedis.

Plurium rerum non qualemcumque, sed pauperem, & arctum usum habere debent, ut infra distincte Supposit. XIX.

Quoad pecuniam apud Minores Observantes nihil trium prædictorum fieri potest, sed omnia vel ab Amicis privatis spiritualibus, & per hujusmodi Amicos spirituales, vel a Syndico, & per Syndicum facienda sunt.

Cæterum his sex differentiis aliæ septem addi possent & porro ab aliquibus Expositoribus addi solent, quæ ex Nicol. III. & Clem. V. Declarationibus colliguntur.

1. Quod non habeant rerum congregationes ad superfluitatem, ad copiam, ad divitias, ad thesaurizationem, neque sub colore providentiæ in futurum, nec

alia

alia occasione, sed se Divinæ Providentiæ committant, eique innitantur.

2. Quod non ita facile habeant Granaria, vel Cellaria.

3. Quod neque nimis amplos, ac spaciosos Conventus, Ecclesias, aut Paramenta, & Vasa sacra pretiosa.

4. Quod non habeant excessivos hortos, aut magnas Vineas, unde multum fructum colligatur, præcipue ad vendendum.

5. Quod nequeant institui hæredes, neque hujusmodi esse ab Inteſtato.

6. Quod nequeunt assistere in Curiis, ac Procesibus,&c.

7. Tandem quod neque exequi Testamenta, & ultimas Voluntates.

Verum secundum, & tertium licite haberi posse a posterioribus Pontificibus declaratum est; primum a Joan. XXII. *Quorumdam exigit* an. 1317., qui quod Clem. V. leviter, ac obiter tetigeret, fusius tractavit, & explanavit; Secundum a Leone X. *Merentur vestræ* an. 1514., ubi declaravit iis omnibus jam antea habitis *absque professionis macula, aut violatione* nos *uti, & potiri libere, & licite posse*. Id quod etiam vel ipsis Reformatis a Clem. VIII. permissum est in Brevi 1602., ubi declaratur, hæc omnia teneri ab illis posse, in Ecclesiis ipsis concessis existentia. (a) Quartum, & quintum jam in eo, quod Fratres neque redditus, neque quidquid naturam redditus sapit habere possunt, continentur. Sextum, & septimum in eo, quod cujuslibet civilis actionis per se incapaces sunt. Primum denique generaliter in eo continetur, quod non possunt vivere ex redditibus, aut possessionibus sed solum de sponte oblatis, vel rogatu quæsitis, vel laboritio comparatis. Nam constat hoc modo vivendo, neque provisionem congregationes, neque divitias de facili ordinarie habere

G ali-

(a) *Habetur Tom. 3. Bull. Rom. inter Constit. ejusd. Pontif.*

Fratres peculiariter *Depositum* pecuniæ apud Syndicum pro necessitatibus futuris tenere posse, ex ea ratione, quod vetantur *congregationes* facere, & habere quidpiam causa *providentiæ* in futurum.

Sed primo ut omittam, quæ a Clem. V. *de congregationibus* dicta sunt, esse tantum dicta comparate ad Granaria, & Cellaria, imo dicta non utcunque, ne scilicet absolute *congregationes* fierent, sed ne fierent, de facili, & levi timore, ut ex ejus Decretali patet; quare absolute fieri possunt, & porro fieri solent sine paupertatis minoriticæ jactura, quia non leviter, sed rationabiliter fieri solent. Item ut omittam in hac ipsa re fuisse contrarium absolute a Joan. XXII. declaratum, ut supra vidimus, atque declarationi Clementinæ, etiamsi & absoluta, & obligatoria foret, derogatum. Ex quo conficitur, etiam pecuniæ *Depositum* fieri posse, si non leviter fiat, sed rationabiliter, ob scilicet varias, & frequenter occurrentes necessitates, ut fieri solet.

Sed his, inquam, omissis, inquiro primo ab Oppositore, ea ratio urgat ne pro solis singulis Fratribus, an etiam pro tota Communitate? profecto pro omnibus, quandoquidem ii Pontifices universim de Fratribus Minoribus, seu de eorum loquuntur Instituto. Non poterit igitur deponi pecunia in necessitates futuras ne quidem pro ipsa Fratrum communitate, cum utriusque par tamen conditio quoad hoc sit ex suppos. II.

Præterea jam exploratum est, juxta completas Mart. IV., & V., & Pauli IV., & Pii V. Syndicorum formas omnem pecuniam undecumque & quomodocumque provenientem, nulla alia habita ratione, Syndico integraliter consignandam esse. Inquiro nunc secundo; omnis hæc deposita pecunia cujus est? Fratrum, an Pontificis? procul dubio Pontificis. Non poterit is igitur velle, ut deponatur, ac retineatur pecunia sua apud Procuratorem suum pro Fratrum necessitatibus etiam futuris?

An non potest ex. gr. dives aliquis ex Ærario suo extrahere v. g. mille Scuta, eaque deponere apud alium aliquem a se substitutum ad hoc, ut pro Fratribus expendantur, idque vel sponte, vel ab illis rogatus, iis significare, ut quoties illis necessitates *pro tempore occurrerint*, possint, si velint, ad hujusmodi suum Depositarium recurrere? Si ita fiat, nonne censebitur ea pecunia deposita pro Fratrum necessitatibus nedum *præteritis*, aut *præsentibus*, aut *imminentibus*, sed etiam proprie, & rigorose *futuris*? nam procul dubio necessitates *occurrentes pro tempore* seu quæ identidem *occurrunt*, aut possunt *occurrere*, quod idem est, per se non nisi pro nunc esse possunt *futura*. Atqui Pontifex dives ille respectu Fratrum est. Iterum dico quæ in Definit. V., & Suppos. III. dixi, aliud est pecuniæ *Depositum*, aliud Fratrum ad illud *Recursus*: & ideo Adversarii decipiuntur, quia unum ab altero non distinguunt, proindeque genuinum, ac præcisum quæstionis sensum haud intelligunt.

Inquiro tertio num Pontifices præfati ad eas prohibitiones Nic., & Clem., ut prædicitur, in suis Bullis respexerint, easque nobis etiam ipsi, cum potuerint, ac debuerint, indixerint? Jam patet ex Suppos. III. & multo magis alias patebit, illos indixisse generaliter, & absolute, ut pecunia quælibet apud Syndicum deponatur pro *necessitatibus occurrentibus pro tempore*, quibus verbis & *Depositi* diuturnitas, & *necessitatum futuritio*, uti ibidem ostendimus, evidenter continetur.

Inquiro quarto, num Fratribus Minoribus liceat habere perpetua sive gratuita, sive etiam onerosa Legata, nempe pro Officiis, Missis &c.? indubitanter, modo Legatorum fundi, seu Capitalia in aliorum dominio resideant, ipsi vero fructus vel in rebus, vel in pecunia per modum eleemosinæ recipiant, & cæteræ conditiones observentur; &c. Imo hoc non solum in communi

muni

muni, sed etiam in speciali habere licet, sicuti docet etiam Sanchez in Decalog. Tom. 2 l. 7. cap. 26. n. 9. 10. Quinimmo habere hujusmodi Missarum Legata melius est, quam celebrare pro eleemosynis manualibus, dummodo Legata à solo Syndico recipiantur, ac exigantur, quia hoc pacto & cum minori sollicitudine vivitur, & Fratrum extra Conventum vagatio impeditur, & multa incommoda, quæ ex adventitiarum eleemosynarum receptione oriri solent, evitantur. Jam vero si id genus Legata aut valde pinguia, aut multa sint (fieri etenim potest, ut omnes unius Conventus ex. gr. Missæ Legatis extent obligatæ) profecto & magna, atque fixa, & perpetua ex hoc solo capite pecuniæ summa apud Syndicum veluti deposita habebitur, ut in necessitates Fratrum insumatur. Hoc autem posito consequitur, provisum esse posse necessitatibus etiam *futuris*, & non multum relinqui, ut Fratres se divinæ providentiæ juxta Censoris sensum committant, ut liquet.

Inquiro quinto, an Civitas, aut Communitas aliqua possit obligare se in perpetuum ad tribuendum alicui Conventui vel in specie, vel in pecunia totum ex. gr. panem, aut vinum, aut ferculum quotidianum, aut hæc omnia simul, & nobis ista liceat accipere? dubio procul. Nam id etiam Capucini, strictiores videlicet omnium Regulæ professores, faciunt. His adde (si hoc fieri contingat) eleemosinas quotidianas Missarum, aliasque obventiones, jam conspicis, summam provisionum conflari posse, qua necessitatibus etiam *futuris* fiat satis; atque ideo vides in his casibus providentiam modice locum habere posse.

Inquiro sexto denique, & ultimo, utrum pubblici v. g. Professores, ac præsertim Prædicatores possint admittere fixa, ac stabilita sibi stipendia generaliter, & absolute, nulla habita ratione ad *presentes*, aut *imminentes*, aut *futuras* necessitates, eaque Syndico integrali-

ter consignare? quis ambigit? nam non solum Prædicatores hoc possunt, sed tenentur, tum quod universim in Syndicorum Bullis, tum quod speciatim id ab Innoc. XI., ut infra videbimus, illis præscribitur. Jam vero fac in uno Conventu esse duos, tresve Prædicatores celebres, quorum quilibet in aliquo ex iis Suggestibus prædicet, ubi magnum est constitutum stipendium, aureorum v. g. venetorum centum. Sane magna pecuniæ summa Syndico consignabitur, quæ insuper quotidianarum Missarum pecuniis, aut aliis obventionibus aucta, inservire poterit plusquam satis ad providendum necessitatibus etiam *futuris*.

Ex his omnibus liquet, quæ de *congregationibus* evitandis, &c. a Nicolao III., & Clem. V. præscripta sunt, haud esse absolute, generatim, atque strictim, sed cum conditione, discretione, ac moderatione intelligenda, sicut ex testimonio maxime de *Gubernatis* infra dicemus.

At, inquis, ea omnia licite fieri possunt, quia ab omnibus, & singulis Fratribus in commune conferenda sunt: communitati autem *necessitates* multæ vel *præsentes*, vel *ingruentes*, vel potius *continuæ* semper sunt.

Esto. Sed primum negari non potest, per prædicta, maxime perpetua, bene prospici multis necessitatibus etiam *pro futuro*, uti deduximus, ideoque spem in divinam providentiam valde minui: quod nihilominus iis Nicol., & Clem. præscriptionibus, si quidem eæ stricte intelligantur, etiam pro Communitate tota adversatur; quandoquidem de Fratribus omnibus absolute loquuntur uti initio diximus.

Deinde sicut Conventui, ita peculiari Fratri, ubi perfecta non extat vita communis, *necessitates* variæ *ingruentes* esse possunt, inspecta potissimum *necessitatis* natura, quæ suis locis significata traditur.

Præterea quæstio præsens est de peculio non magno, & *excessivo*, sed *competenti*, & *moderato*, sicuti suo loco

ex-

expresse determinabitur: quod propterea a peculiari Fratre in suis *necessitatibus* ejusmodi, aut nunquam, aut vix erit in annum (hoc fieri per annum posse etiam Censor ipse concedere videtur; ex quo colligas, re bene intellecta, sententiam meam difficultati obnoxiam non esse) duraturum.

Quid igitur sibi volunt per eas præscriptiones Clemens, & Nicolaus? & quomodo illæ intelligendæ Sunt? Volunt excludere improvidas, immoderatas, & excessivas congregationes; volunt arcere divitias, thesaurizationem, & astruere statum, qui absolute mendicitatem non tollat, neque accessum, ac spem in divina providentia auferat; volunt nos ad puriorem, ac perfectiorem Regulæ nostræ quoad paupertatis observantiam excitare, & inducere, non absolutam, ac strictam usquequaque obligationem statuere, ac imponere. Cum autem obventiones omnes nostræ, etiam illæ, de quibus superius verba fecimus, non sint veri, ac proprii redditus, ac possessiones, sed semper puræ eleemosinæ, ideoque semper a providentia divina pendentes; cumque ordinarie non sint magnæ, aut *excedentes*, sed vix etiam *moderatæ*, vix *competentes*, conficitur, neque nos divitias congregare, neque extra divinæ porvidentiæ limites divertere facile posse. Demum nos ab his rigoribus modo liberi sumus, ut plenius suo loco ostendetur.

Jam vero ut etiam de reliquis a Censore secundo loco tactis aliquid tandem dicamus, quatuor noscenda sunt. 1. Apud nos quatuor esse provisionis modos, nempe de mercede laboris; de oblatis liberaliter; de mendicatis in specie humiliter; de comparatis per recursum ad pecuniam. Primus modus a S. nostro Legislatore principaliter intentus est: secundus defectu primi; tertius etiam defectu secundi; quartus defectu omnium reliquorum. Quamquam non semper, opinor, ordinis hujusce rationem rigorose tenendam esse necesse est.

2. Laborem esse vel corporalem, vel spiritualem, cujusmodi Missæ, Officia, Prædicationes, Confessiones, Studia, Magisteria &c.

3. Spiritualem corporali præstantiorem, ut patet, & plerumque tum sibi, tum ipsis, tum Ordini ipsi utiliorem esse.

4. Volentes, ac valentes spiritualiter potius laborare non esse corporali (etiamsi scirent, ac possent; quid porro de illis, qui de hujusmodi sciunt nihil, aut possunt?) labori subjiciendos, sicuti etiam Nicolaus ipse III. ff. *Continetur quoque* declaravit.

Nunc his positis ego ex. grat. spiritualiter laboro, quia præter alia quotannis in Quadragesima prædico. Fortasse adversarius putat, aut plures in anno Quadragesimas esse, aut saltem in arbitrio Prædicatoris fore, ut, quoties ei libuerit, prædicare semper possit: quia asserit, a Fratribus singulis ad supplendum aliis necessitatibus *occurrentibus* esse iterum, seu pluries prædicandum. Ego semel plures Missas libere celebrare possum, earumque propterea eleemosynis necessitatibus identidem *occurrentibus* meis providere, iterum, ne dum pluries, per annum integrum non possum. Etiam hic Censor forte existimat, aut nos libere celebrare, quoties placet, aut plures Missas in diem celebrare posse: quia dicit, ab iisdem Fratribus, pro necessitatibus aliis ut supra fore iterum celebrandum. Præterea oblationes liberales non habeo, vel si habeo, non ad sufficientiam: imo etiamsi habeam, non accipio, quia iis non indigeo, utpote qui ad sufficientiam spiritualiter laboro. Ad mendicata humiliter tandem non recurro; tum quia, inquam, non indigeo, eo quod spiritualiter laboro; tum quia hujusmodi recursus defectu tantum laboris, qui prius adhiberi debet, ut vidimus, concessus est; tum denique quia hujuscemodi labor universim præstantior, atque utilior provisionis modus, quam re-

li-

liquus quilibet, uti pariter vidimus, est. Quare cum ex Prædicatione annuali, vel ex pluribus Missis certo tempore libere celebratis vel simpliciter, vel etiam vix colligam quantum sufficit ad providendum ex. c. in annum *occurrentibus pro tempore* omnibus necessitatibus meis, nihilque aliud aliunde habeam, neque habere curem, & quia non teneor, & quia, ut dixi, non egeo, & quia etiam habere non possum, pecuniam ex prædicatione, vel ex Missis prædictis, tanquam ex mercede laboris spiritualis aquisitam, Pontificis Ærario apud Syndicum existenti fideliter consignari facio, utpote ad ipsum pertinentem, sicuti Pontifices præscribunt, deque hac consignatione, seu depositione Superiorem certiorem reddo, tum ejus habito assensu ad eumdem Syndicum toties quoties recurro in necessitatibus *pro tempore* mihi *occurrentibus*, quod est idem ac in necessitatibus etiam suo modo *futuris* (v. g. in annum, ut supra diximus): pecunia vero hæc tenebitur apud Syndicum vel incorporata cum communi pecunia, vel excorporata, ex eaque vel mihi duntaxat, vel etiam Communitati providebitur, pro ut ratio perfectæ vitæ Communis vel existentis, vel non existentis uno aut altero modo provideri postulaverit.

Ex hactenus itaque demonstratis satis liquet, ea, quæ de *congregationibus* non habendis, & de obligatione committendi se divinæ Providentiæ a Nicolao, & Clem. universim præscripta sunt, vel non omnino stricte intelligenda esse, ut supra innuimus, vel ad Regulæ substantiam minime pertinere, sed ad quasdam strictioris, ac perfectioris observationis *modalitates*, cum illa compati omnino non possint cum iis, quæ nobis per aliorum Pontificum declarationes, atque dispositiones conceduntur, uti deduximus. Quod si illæ Fratrum Congregationes, de quibus fit mentio in Bulla Innoc. XI. in Historia N. XV., & de quibus nos

infra

infra distinctius loquemur, solas Nicol., & Clem. Declarationes acceptarunt, iisque solis uti malentes ad eas observandas se specialius obligarunt, præter Regulæ substantiam, hisce etiam omnibus restrictionibus tenentur; nos etiam aliorum Pontificum utentes Declarationibus, salva præceptorum Regulæ substantia, ab his liberi sumus. Quare evanescunt omnia, quæ ab Oppositore locis supra laudatis hinc contra nos in hanc rem deducta sunt, tum quia non ita stricte intelliguntur, ut ipse putat, tum quia adversus nos, ut vidimus, locum non habent: & tamen hæc in ejus Libello graviora, quæ nobis opponit, imo principalia, quemadmodum Lectores videre possunt, sunt.

Cor. Hinc (nempe ex Suppositio IIII.) quoad pecuniam, seu quoad recursum ad ipsam, quidquid præter illa tria aliis Regularibus per se, Minoribus per Syndicum licitum est.

Sensus autem hujus Cor. est, licitum Minoribus esse quidquid aliis Regularibus licet, nempe quoad *honestum*, ac *moderatum* rerum usum permissum ex vi Voti Paupertatis, & Ecclesiastice Ordinationis circa id Votum; & exceptis usibus in Regula contentis, ut in Suppos. XIX. apparebit; & cum omnibus moderaminibus sparsim significatis, & explicatis.

S U P P O S I T I O V.

QUantum ad pecuniam Votum Pauperratis tribus in universum modis legitime servari per se potest. Primo modo ita ut cujusque Fratris quælibet pecunia incorporetur, & confundatur cum pecunia Conventus, atque a Superioribus, vel Officialibus destinatis pro opportunitate Subditis (nempe aliorum Ordinum) ex ea communi Massa aliquid ejusdem pecuniæ tradatur ad expendendum.

Secun-

Secundo ita ut reponatur quidem in communi Deposito, sed separata a pecunia Conventus, & nomine peculiaris Fratis tradenda ei tamen ut supra per Superiorem, vel per Officiales.

Tertio ita ut a singulis penes se retineatur, & expendatur de Superioris licentia.

Primus est perfectus, quia eo non solum Paupertatis substantia, verum etiam perfectæ vitæ communis a Tridentino præceptæ forma continetur. Utinam iste modus apud Regulares omnes in usu esset, ac vigeret.

Secundus minus perfectus, quia etsi non refert formam perfectæ Communitatis, tamen proxime ad illam accedit, ut ostendimus adnotatione 9. N. XXIII. in Historia, & veluti imperfecta, & inchoata quædam Communitas est. Faxit Deus, ut saltem hic modus a Pontificibus, ut ibidem vidimus, & permissus, & præscriptus apud Regulares omnes vigeat.

Tertius adhuc minus perfectus, seu multo imperfectior, quia a Communitate omnino elongatur. Utinam iste modus apud nullos Regulares in usu esset.

Porro dictum est *Votum Paupertatis*, & *per se*; quia cum essentia hujusce Voti in abdicatione proprii consistat ex Def. 2., proprii vero abdicatio in dependentia a Superioris voluntate ex Def. 1., patet, hujusmodi Voti essentiam, quoquo modo pecuniam teneas ex assignatis, ejusque beneficio utaris, modo teneas, ac utaris de Superioris licentia, in tuto esse. Alioqui enim præceptum Paupertatis juxta Ecclesiæ formam observari legitime non posse, nisi primo, aut secundo ut summum modo, ex Historia N. XVI., & deinceps manifestum est.

SUP.

SUPPOSITIO VI.

SI Superiores Communitatem ad Tridentini formam prudenter erigere volunt, præsertim si major Fratrum pars consentiat, non potest Frater eam sine culpa recusare, non obstante quacumque consuetudine.

Intelligitur nomine *Consuetudinis* contrarius *usus*, qui haberetur communitate non existente, sicuti in Animadversione Def. 18. explicavimus. Id quod etiamsi ita non explicaretur, nihilominus non posse aliter a me, aut ab aliis intelligi, ex ipsismet Suppositionis rationibus liquet.

Additur autem *prudenter* ut insinuetur, quod sicut Superiores hoc non temere, sed magna maturitate tentare, seu efficere debent, ita Subditi, cum temere ab iis tentatur, aut efficitur, eis obtemperare absolute, & ordinarie non tenentur. Prudentia autem in eo consistit, ut attendantur omnes facti circumstantiæ, præcipue hæ, utrum nimirum Communitas cum effectu vere, ac stabiliter erigi, & utrum omnibus Fratrum necessitatibus per eam vere, ac stabiliter provideri possit: in idque vel omnes, vel major saltem pars voluntarie censeatur, uti diximus, consentire. Quare Julius Baudinus, quem principio hujus Diatribæ indigitavimus, Dissert. Canonica de Vita Communi Regularium pag. 70., postquam adduxit Decretum Congreg. super Disciplina Regulari, quo decernitur, ut a Prælatis *necessitates* omnes *singulis Religiosis prompte subministrentur*, subdit. *Non igitur*, inquit, *tenentur Religiosi sua in manibus Superiorum resignare, qui non cœperint dispensare communia, sed satis est, ad evadendum proprietatis scelus, quod Reformationi a Superioribus legitime* (nota verbum) *faciendæ sint obtemperare parati, ut docet inter alios Bassæus &c.... Nec obstat*, (prosequitur si-

bi

bi obiiciens aliud ejusdem Congreg. Decretum) *quod eadem Congregat.* . . . . , *serio admonet* . . . , *ut* Religiosi *ad Regulæ* . . . , *præscriptum vitam instituant*, *&* *componant*. *Nam vitam*, inquit, *instituere*, *&* *componere non ad singulos*, *sed ad Prælatos spectat*, *&* *ad Capitula per præparationem potissimum necessariorum*: *&* *ideo singuli excusantur a peccato*, *donec illa institutio*, *&* *compositio fiat*, *&* *per eos non impediatur*, *ut docet Navarrus* Comment. 3. de Regular. num. 26. 27. 32. 36. Sanchez Lib. 7. Moral. cap. 22. nu. 14., & Grassius p. 1. Lib. 3. cap. 5. num. 55. *Hac ratione eadem Sacra Congregat. Regulares omnes ad observantiam Vitæ Communis introductæ constringit*, *solos vero Superiores ad introductionem illius*, *ut videre est.* ff. Quocirca. Et pag. 112. ex Lessio ita limitante doctrinam de obligatione acceptandi Communitatem pro Subditis, *dummodo aliunde*, inquit, *constet Religioso*, *quod sibi excommuni penu commode sit prospectum*. Et pag. 167. idem repetit his verbis: *Professus*, inquit, *Regulam ex privata bonorum possessione jam diu collapsam non tenetur permissum sibi dimittere peculium*, *nisi cum viderit suis necessitatibus de communibus Monasterii redditibus ab ipsis Superioribus provideri*, *&* *sanctam Vitæ Communis legem ad alios inter quos vivit*, *legitime* (nota hæc verba) *extendi juxta ea*, *quæ jam vidimus*. Clement. Cum rationi De Electione, & Electi Potestate.

Dicitur etiam *si præsertim major pars consentiat*: quod quidem non de *majori parte* universim, & utcumque; sed saniori, ac præstantiori præcipue intelligendum est ut ex admonitione in hanc rem a Summo Pontifice Benedict. XIV. facta colligitur, sicuti patet in Historia N. XXIII. Ibi enim loquens de Monialibus, admonet deprehendi debere, *in quo numero recenseantur illæ*, *quæ ætate*, *aut auctoritate graviores habentur*. Itaque si vel minor tantum Fratrum pars consentiat, vel

ma-

maxime graviorum, atque prudentiorum consensus desit, fieri poterit, ut Fratres omnes ad Communitatem acceptandam non teneantur. Ubi etiam iterum recolendum est, fieri consequenter posse, ut Fratres professi ante acceptatam reformationem quo ad vitam communem; imo etiam qui in Monasteriis, ubi hæc non viget, post recepti sunt, aut imposterum recipientur; qui hanc vitam voluntarie non elegerint, ad illam adstringi, atque cogi inviti non possint. Hæc etenim etiam duo in Reformationibus modificatis a Clem. VIII. pro Monialibus inveniuntur, ut ibidem pariter liquet. Cujus ratio est, quia etiam alio modo inibi quoque & permisso, & præscripto tum Paupertatis votum, tum Ecclesiæ de Vita communi præceptum servari legitime, ac licite potest. Ex quo videre est, me in hac Suppositione, etsi iis conditionibus restricta, de vita communi admittenda, non large ullo modo, sed stricte sensisse, ac posuisse.

Veritas hujus Suppos. patet, tum ex Concilio, pluribusque Pontificibus id Regularibus omnibus graviter præcipientibus, tum etiam ex natura Voti Paupertatis ipsius. Cum enim hujus essentia in usu rerum consistat dependenter a Superioris voluntate ex Def. 1. & 2., si hæc voluntas desideretur, etiam ipsam Voti essentiam desiderari necesse est: desideratur autem, cum Superior præcipit, atque vult Communitatem, quia cum rerum usum ab uno possit tollere, & aliis dare, tunc hujusmodi usum peculiariter ne dum non concedit, sed interdicit. Itaque Superiore Communitatem erigere ut supra volente, Subditus obluctans & proprietarius, & inobediens est, utpote contra Paupertatis, & Obedientiæ Vota committens; adeoque duplicis sacrilegii, & pœnæ his duobus Votis respondentis reus est.

Neque suffragari ei valet quæcumque, uti diximus,

con-

consuetudo, seu contrarius usus; quia etsi Paupertas, quod spectat ad Ecclesiæ præceptum de Communitate, per consuetudinem, seu per hoc quod non sit usu receptum, ut infra fusius dicemus, præscribi possit; tamen quod ad Votum, ejusque essentiam attinet, nunquam potest. Nam cum hæc essentia consistat potissimum in dependentia a Superioris voluntate, ut mox dictum est, si per consuetudinem, seu usum fieri posset, ut Regularis haberet peculiarem usum rerum contra hanc voluntatem, haberet proprium, adeoque destrueretur, ut patet, essentia ipsa ejusdem Voti, proindeque haberetur Votum sine ejus essentia; quod manifeste repugnat. Atque hoc illud est quod vult Tridentinum cum dicit, non posse Superiores in Votorum, & regularis vitæ substantia dispensare, nempe ut a suis quidquam tanquam proprium habeatur.

Videant ergo in quo statu versentur qui Superiori Communitatem *prudenter* ut supra erigere volenti se opponunt. Ut enim Subditi, ubi perfecta Vita communis non extat, in tuto sint quoad hoc Paupertatis Votum, debent vero animo esse parati ad tradendum suum peculium Superiori, illudque incorporandum quoties modo superius explicato illud exegerit. Sed videant etiam Superiores, quomodo in hoc negotio se gerant, ne subditos in tam grande animæ discrimen coniiciendo, majus potius malum, quam ullum bonum efficiant.

Hoc monitum, quod ex ipsis prudentiæ regulis elicitum nos antea hic in prima Editione dedimus postea etiam a Bened. XIV. Pontifice maximo, & quidem fusius expressum, & fortius inculcatum traditum invenimus in Libro de Synodo Diœcesana, quem locum integrum exaravimus in Historia N. XXIII.

SUP-

SUPPOSITIO VII.

ECclesiæ præceptum de Vita communi, & de incorporatione pecuniæ est collectivum simul, & distributivum, ideoque obligat omnes simul, & singulos tam Superiores, quam Subditos, sed principaliter Superiores, estque factum generaliter pro omnibus Regularibus, & peræque afficit omnes Regulares.

Patet ex Historia N. XVI., & Notis num. 2. Quomodo autem intelligantur *Principaliter* Superiores, & quomodo, & quando obligati etiam singuli Subditi, jam patuit ex Baudino supra laudato, videlicet hi non tenentur, nisi quando *constat, quod sibi ex communi penu commode prospiciatur, & nisi viderint*, communem vitam etiam *ad alios legitime extendi*. Ex quo manifeste conficitur, neminem sigillatim (quod valde notandum est) ad eam in praxi teneri, eique se conformare, resignando cum effectu Communitati omnia sua, si alii singuli, saltem pro majori parte, ut præcedenti Supposit. posuimus, sua pariter omnia in eam cum effectu minime conferant.

Porro an præceptum Ecclesiæ hujusmodi sit simpliciter novum, an vero antiquum renovatum, inter Doctores non convenit. Complures etenim putant, Tridentinum præcipiendo Regularibus perfectam vitam communem, renovasse duntaxat, & confirmasse Jus antiquum, quod habetur Cap. *Ne dicatis*, & Cap. *Monachi*; & Cap. *Cum ad Monasterium &c.*: complures vero contra, Jus novum condidisse, quorum sententia probabilior censenda est, ut apud Auctores videre licet. Verum utcumque res se habeat, illud certum est; præceptum hujuscemodi vitæ, quæ est præceptum Tridentini, non obligare Regulares, nisi a tempore Tridentini ipsius, a quo vel primum conditum, vel jam renova-

novatum , quippe quod usu jam abolitum , uti diximus, fere communiter antea existebat.

Jam vero ex hac sola Supposit. evidenter apparet, quinam sit doctrinæ ordo, quæque connexio in Censoris quoad hanc rem Libello. Etenim quod spectat ad vitam communem, ac pecuniæ incorporationem passim confundit, atque permiscet Tridentini, & aliorum Pontificum de illa Decreta cum Bullis Pontificum de Syndicis nostris, cum Regula nostra, cum Statutis: uti facit Cap. 5. pag. 17., & præsertim cap. 7. pag. 25., & cap. 8. peg. 26. Nam cap. 7. ut probet, pecuniæ confusionem, ac permixtionem in Capsa communi specialiter Fratribus Minoribus esse præceptam, utitur Tridentino, & Bulla Clem. VIII. Ait enim. *Quod autem commixtio, seu confusio pecuniarum, saltem* (nota hoc verbum Minoribus hic specialiter applicatum) *in Fratribus Minoribus sit de essentia ejusdem præcepti, examinentur verba Concilii, & Bullæ* (nempe Clem. VIII., quam solam cap. 5., & *6.* laudaverat), *eorumdemque finis*. Scilicet Concilium, & Clem., imo cæteri alii Pontifices solos Fraeres Minores respexerunt, aut saltem eos potissimum, non vero generaliter, & æqualitet omnes, uti in Suppositione expressimus, Regulares, quos constat voluisse æque nihilo minus obligatos ad vitam communem, atque ad omnimodam pecuniæ incorporationem, ac permixtionem. Et cap. 8. ut id, quod diximus, confirmet, probat, non militare rationem eamdem pro Minoribus Observantibus, atque cæteris Regularibus (qua de re dicemus infra), ita ut de utrisque pari jure sit judicandum. Sed primum jam vidimus Concilium, Pontifices, nullum Ordinem discriminando, promiscue, & universim loqui de Regularibus omnibus, omnesque prorsus in suo præcepto ad Communitatem æqualiter velle obligatos. Deinde vel loquitur Adversarius de

H pe-

pecunia, quæ apud Spirituales Amicos haberi poteſt, vel de ea, quæ habetur apud Syndicum. Si de prima, conſtat, id neque ad rem eſſe, tum quia de hac in præſenti quæſtione non loquimur, tum quia de hac incorporatio non ſolet fieri, uti ſuo loco demonſtrabimus. Si vero de ſecunda, eadem ratio militat, ſeu militare poteſt pro noſtris, ac Regularibus cæteris, quia ſicuti illi tenebuntur pecuniam quamlibet incorporare apud Capſam communem in Conventu, ita, eodemque modo nos tenebimur quoque incorporare in Capſa apud Syndicum exiſtente. Quæ igitur in his locis a Cenſore, uti prædiximus, dicuntur, fere omnia & confuſa, & incohærentia ſunt. Adde, quod in Tit. cap. 7. videtur diſtinguere pecuniæ incorporationem ab ejuſdem commixtione; in corpore vero cap. aſſerit, probatque, idem omnino eſſe; item dicere, quod incorporatio de Eccleſiæ præcepto pro aliis omnibus Fratribus, commixtio vero, atque confuſio tantum pro Minoribus eſt. Lege Tit. Cap. 7., & omnia, quæ eodem, atque aliis duobus ſupra laudatis continentur, & confuſionem, ac incoherentiam perpicies: neque mireris, quia in ejus Libello bene multa confuſa, & perturbata ſunt.

SUPPOSITIO VIII.

TRidentini de perfecta Vita communi præceptum non obligat ubi uſu, ac moribus receptum non eſt.

Ne Lector in Suppoſitionis intellectu, facillimo alioqui, & obvio licet, decipiatur, queſo diligenter attendat. Itaque non eſt animus affirmare, quod ubi non eſt præceptum hoc receptum uſu, non obliget hoc ſenſu, quaſi vim amittat obligandi ex ipſo non uſu ita, ut amplius recipi non debeat, aut amplius obligare

gare non possit, cum vis hæc pendeat potissimum a solius Pontificis potestate, ac voluntate, qui propterea quemcumque contrarium usum tollere potest, atque idem præceptum semper urgere, sicuti re ipsa facere solet: aut quod Superiores & Subditi simul curare pro viribus non debeant, ut usu recipiatur, atque perfecta vita communis introducatur; sed contendo asserere, quod de facto non obliget, ubi nondum usu, ac moribus receptum est, & quamdiu ita receptum non est. Id quod tum ob plurimas alias causas, cum præsertim ob Monasteriorum pauperiem ut plurimum contingere solet.

Hoc autem sensu intellecta suppositio adeo vera est ex communi doctrina, ac praxi, uti omnes norunt, imo ex ijs, quæ nos suis locis in Historia retulimus, ut nihil in ejus confirmationem afferre necesse sit. Nos tamen ad eruditionem hanc eamdem doctrinam de vi non usus duobus præclaris exemplis illustrabimus desumtis ex insigni Opere De Synodo Diæcesana Pontificis maximi XIV. Benedicti, quorum alterum habetur cap. 48. Lib. *6.* alterum cap. *68.* Ubi igitur loquens ille de Censu personali, & de Conditionibus ad Census honestatem potissimum ecclesiastico Jure pertinentibus a Pio V. in sua Costit. *Cum onus* præscriptis, hæc habet. *Si præsit*, inquit, (nempe Episcopus) *Diæcesi, ubi prædicta viget S. Pii. V. Constitutio, urgebit ejusdem observationem, curabitque pro viribus* (nota posito eo, quod vigeat, Constitutionis obligationem) *ne personales Census in eam clanculum inducantur. Si vero* Diæcesim *gubernet, in qua Piana Constitutio non est moribus recepta, serio fideles monebit, atque hortabitur* (nota obligationis defectum ex eo, quod non sit usu recepta) *ut a Censibus personalibus abstineant, eo quod etiam, spectata sola eorumdem indole, usuræ periculo, & suspicione non vacent.*

Cap. vero *68.* tractans casum quemdam super evitatione Excommunicatorum; postquam attulit celebrem

H 2 Extra-

Extravag. *Ad evitanda* editam a Mart. V. in Concilio Constant., in qua decernitur, non esse evitandos nisi solos Excommunicatos publice, & nominatim denunciatos, vel publicos ac notorios Clericorum percussores &c.; atque etiam Statutum posterioris Concilii Lateranensis V. sess. XI. ff. *Statuimus autem*, in quo statuitur, quoscumque etiam fore vitandos, qui facti notorietate noscuntur in Excommunicutionem incidisse, refert Fagnanum hoc potius secundum Concilium sequentem; tum ipse juxta prius Concilium Constantiense rem ita decidit. *Quamvis vero*, inquit, *Fagnanus .... probare conetur .... juxta posteriorem Sanctionem Concilii Lateran. V. Sess. &c.; ejus tamen doctrina fere communiter rejecta est, cum ubique moribus sit recepta laudata Constitutio* Ad evitanda: *quod testantur Suarez &c.* En igitur de sententia ipsiusmet Pontificis Constitutio Constant. Consilii in obligatione, quia *moribus recepta* est, Sanctio vero Concilii Lateran., ea licet posterior, minime in obligatione, quia moribus recepta non est.

Denique hæc doctrina etiam ex iis, quæ de prudentia in erigendis Communitatibus ab eodem Pontifice tradita sunt, & alibi a nobis allata, confirmari abunde potest. Nam ex iis colligitur, contingere posse, ut vitæ communis præceptum, utpote moribus haud receptum, desinat de facto obligare.

Quod autem de Tridentino dicitur, id etiam, eademque ratione de Clem., aliorumque Pontificum Decretis sive generatim pro omnibus, sive speciatim pro aliquibus Regularibus, sicuti de cæteris humanis præceptis, aliunde provenientibus, intelligitur, nempe non obligare, ubi contingat, usu, ac moribus recepta non esse, aut aliis legitimis de causis ad praxim reduci non posse.

Jam vero quibus in locis, & apud quos Regulares, aut moniales hujusmodi præceptum re vera usu rece-

ptum

ptum sit, quamquam scire nihil ad nos attinet, facti notitia clarius est, quam quod necesse sit determinare. Constat etenim habere peculium secundo, aut tertio modò ex iis, quos suppos. V. assignavimus, fere apud omnes Regulares, & Moniales in usu esse, scientibus (si sermo sit præsertim de Monialibus) ac permittentibus Superioribus zelantissimis, atque vigilantissimis, perfectam licet Communitatem omnino cupientibus, ac pro viribus procurantibus. Sed quod hac in re speciali consideratione dignum existit, est Professio, quæ à monialibus Canonissis Conventus S. Mariæ de Bethlehem Patavii emittitur. Ea enim, ut extat in Vestitionis, & Professionis earumdem Monialium Libello edito 1707. est hujusmodi:

Ego N. N. voveo, & promitto stabilitatem meam in hoc Monasterio Canonissarum Regularium .... & conversionem morum meorum, Obedientiam, Castitatem, ac Paupertatem; ac vivere in Communitate perfecta sine proprio, quotiescumque (nota) *Communitas ipsa ab Illustriss. & Reverendiss. &c. fuerit præcepta, secundum Regulam S. Patris nostri Augustini, coram Deo &c.*

Porro ex hac Professionis solemnis formula sex indubitanter colliguntur, 1. Communitatem sive in rebus, sive in pecunia ad Voti Paupertatis substantiam proculdubio non pertinere, ideoque peculium, ea sarta tecta, uti nos Supp. V., & X. statuimus, haberi posse. 2. In eo Conventu a multis annis Tridentini præceptum in usu non esse. 3. Vovere eas Moniales Communitatem conditionate, nempe si fiat ut præcipiatur; quod perinde est, ac actu excludere Communitatem, utpote quæ nondum existit. 4. A quinquaginta duobus ut minus annis a Patavinis Episcopis etsi zelantissimis nunquam iis monialibus fuisse præceptam? Professionem hujusmodi nihilominus emitti secundum S. Augustini Regulam, tametsi in hac Communitas (sicuti & in Re-

gula S. Bened. & aliis Constitut., quas ordinarie cæteri Regulares profitentur &c.) injungatur. *6.* denique his non obstantibus moniales illas in tuto esse.

SUPPOSITIO. IX.

Abdicatio usus, atque cujuscumque civilis contrectationis pecuniæ sive in particulari, sive in communi, non ad Votum Paupertatis, sed ad Regulam pertinet.

Sensus est, quod Fratres minores nequeant recipere, & contrectare pecuniam neque per se, neque per interpositam personam, non Votum, sed purum Regulæ præceptum esse.

Patet tum ex ipsis Regulæ verbis cap. 4. tum ex Pontificiis Declarationibus, in quibus inter cætera Regulæ præcepta numeratur. Adeo ut si quis Frater dispensaretur in receptione, ac usu pecuniæ a Pontifice, non vero in Voto Paupertatis, is pecuniam recipiendo, & contrectando, aut disponendo de ea independenter a Superioris voluntate, non peccaret contra Regulam sed contra Votum sicuti de facto pecunia hoc modo utentes peccarent Conventuales quoad pecuniæ usum dispensati, cæterique Regulares: eodem pacto, quo contra peccaret quis Frater adversus Votum, & non Regulam, si duabus Tunicis ab eadem permissis uteretur tanquam propriis, hoc est non dependenter a Superioris voluntate. Ex quo corruit quod videtur asserere Adversarius, nempe habere, vel recurrere ad pecuniam pertinere ad minoriticæ Paupertatis Votum, quia ita Votum cum præcepto confundit.

SUPPOSITIO. X.

Cum quæritur de re aliqua an liceat, vel non liceat, seu an extet, vel non præceptum obligans ad pe-

ad peccatum, de mortali peccato *per se* intelligitur.

Patet ex moralistarum doctrina. Venialia enim *rigorose proprie*, *&* *per se* lege, vel præcepto prohiberi non dicuntur.

SUPPOSITIO. XI.

TRansgressio præcepti obligantis ad mortale non est mortalis, nisi fiat extra totam latitudinem illius.

Sensus est, non peccari mortaliter in transgressione alicujus præcepti, si modi quidem, aut circumstantiæ, seu conditiones quædam ei adiectæ omittantur, modo extra totam latitudinem, qua præcepti ipsius substantia consistit, non exeatur. Et intelligitur etiam non inspecta materiæ parvitate: nam jam constat, hanc, ubi datur, excusare a lethali peccato.

Hoc autem apud moralistas jam certum universim est, & multis exemplis confirmari potest. Ita in Officio Canonico non delinquis mortaliter illud recitando, ut dicitur, per saltum, non statis horis, aliquantum interrupte, si legas certas v. g. ex Scriptura, vel ex Communi Lectiones præ aliis, si certas quasdam non observes cæremonias &c. dummodo totum illud, aut partem ad lethale requisitam non omittas. Idem dicito de celebratione Missæ, atque communiter de aliis multis præsertim humanis præceptis. Idem consequenter etiam de præceptis nostræ Regulæ dicendum est, de quibus speciatim ita docet Corduba Expos. in Regul. cap. 10. q. 3. pag. *496.*, & ex illo Marchant. in cap. 10. q. 5. pag. *396.* Idem docet etiam recens Auctor alias laudatus pag. 233.

Sed quando transgressio fiat extra totam præcepti latitudinem, profecto non est facile determinare, quoniam neque semper, neque in omnibus, neque certo

ſemper, ut ſapienter admonet idem Corduba, ſciri poteſt. Veruntamen quoniam ipſe, ut id cognoſci poſſit, duas ſtatuit regulas ſibi ipſi viſas inter alias cæteras utiliores, quaſque quoniam compendioſius ex eo refert Marchant. loco laudato, volo eas iſtius Expoſitoris propriis verbis afferre; e re enim noſtra futuræ ſunt. Statuit itaque hunc canonem.

Fit extra totam latitudinem præcepti quando & contra præceptum fit inexcuſabiliter, & contra totum finem præcepti: pro quibus duas regulas ponit Corduba.

1. *Quando quis transgreditur præceptum bono animo, putans ſe habere cauſam probabilem, & ſufficientem excuſantem eum ab obſervatione præcepti, aut ſaltem a tranſgreſſione mortali, non peccat mortaliter. Ita Corduba hoc cap. q. 3. Ex. gr. Putat quis ſe habere ſufficientem neceſſitatem, & cauſam equitandi, portandi calceamenta, non jejunandi: etſi a parte rei talis omnino non ſit, non peccat mortaliter. Ratio eſt, quia poteſt ſequi judicium probabile in præceptis iſtis non minus quam in humanis, & divinis* .... (nota hæc omnia.)

2. Regula. *Quando per contrariam operationem non tollitur finis præcepti, aut ejus ſubſtantia, licet quis operetur contra verba præcepti, non peccat mortaliter: Ratio eſt, quia obligatio legis ſumitur ex intentione Legislatoris; non cenſetur autem Legislator intendere ita obligare ad litteram præcepti, ſi alias alio modo finis præcepti aquiri poſſit.* Id autem aliquibus explicat exemplis.

Dixi autem, proſequitur, (quando non tollitur finis præcepti, vel eius ſubſtantia) propter aliquos modos adiacentes præceptis, qui interdum ſine gravi detrimento præcepti relinqui poſſuut abſque periculo mortalis peccati: Sic qui in præcepto de divino Officio ſubſtantiam ſervando &c. Hic utitur exemplo a me ſuperius explicato. Poſt ſequitur. *Quo modo*, inquit, *etiam crederem, multos modos in recurſu ad pecuniam traditos non obligare ad mortale, ſi*

modo

modo substantia præcepti servetur, ut vere Fratres non recipiant pecuniam, nec aliquam in illam administrationem, vel dispensationem, aut usum habeant. (nota hæc specialiter.)

SUPPOSITIO XII.

ORdo Fratrum Minorum Observantium nullam veram dispensationem, aut privilegium contra aliquod Regulæ præceptum unquam acceptavit, ac se velle vivere secundum Declarationes Nicolai III., & Clem. V. protestatus est.

Patet præsertim ex Bullis Urbani VIII. *Sacrosanctum Apostolatus*. 1625., & Innoc. XI. *Sollicitudo Pastoralis*. 1679. in quibus omnia Indulta præceptis Regulæ contraria abrogantur; & ex Capitulis Generalibus nostris, a quibus hujuscemodi protestatio facta est. Innoc. Bullam dedimus in Historia N. XV: Urbani Bulla apud Marchant. consuli potest.

ANIMADVERSIO.

QUonia hæc res in præsenti quæstione magna est, multumque ad ejus solutionem conducit, præsertim quod Adversarius ea ad nos impugnandos utitur, uti suo loco apparebit; idcirco ut ostendatur, quam parum nobis obsit genuinus ejus sensus clarius adhuc aperiendus, atque firmius constabiliendus est. Duo Suppositio affirmat, nempe & nullum privilegium fuisse a nobis adversus præceptum ullum unquam acceptatum, & nos Declarationum Nic., & Clem., ut prædicitur, observationem protestatos.

Ad primum itaque quod attinet, sciendum est, nonnulla indulta Regulam relaxantia ab aliquibus Pontificibus re vera fuisse concessa. Etenim, ut cætera si quæ sint, omit-

omittam, Sixtus IV. & possessiones nos habere, per Syndicum administrandas, & ab intestato in hæreditatibus succedere posse jam concesserat, uti vidimus in Historia N. X., & Julius. II. vivæ vocis Oraculo super præceptis *de Tunicis, & Calceamentis* (nonnulli dicunt etiam de *non equitando, & Jejunio*) universim, & absolute indulsisse quoque fertur. Quin & Syndicum ipsum martinianum esse puram dispensationem in Regulam diu fuisse ab Ordine dubitatum, ideoque a multis haud receptum, pariter vidimus in Historia N. VII. ad not. 4. id quod etiam hodiedum jam ab aliquibus Auctoribus, præsertim Capucinis, asseritur, ut hac de re periti norunt. (quod si hoc de Martini IV. Syndico & cogitatum est, & adhuc cogitatur; quid de Syndico Martini V. & Pauli IV., & Pii IV. dicendum est, cum hujus potestas illius potestate adhuc amplior, & extensior sit, ut suis identidem locis observavimus?) Eodemque pacto nonnulla alia esse contra Regulam dispensata, a nobisque jam acceptata, plures etiam num, non solum & existimant, & contra nos dictitant, ut passim auditur, verum etiam criminantur. Et quidem Urbanus VIII. in sua Declaratione solum ad duo præcepta, ex Julii II. Indulto dispensata, respexit, ut ex ejus Bullæ tenore liquet; Innoc. vero XI. loquitur de omnibus præceptis Regulæ, e quibus signanter commemorat septem, quemadmodum in ejus Constitutione legere est.

Nunc his explicatis, Suppositionis verus, atque genuinus unicus sensus, quod primum spectat, facile patet. Est igitur, quod Fratres Minores de Observantia generaliter, & communiter neque unquam acceptarunt, neque acceptant dispensationem ullam super aliquo Regulæ præcepto, ex iis quæ vel certo, vel forte essent ullo modo factæ, sintque veræ, ac propriæ dispensationes, seu relaxationes, sed quod profitentur, ac profi-

teri

teri volunt, omnia, & singula Regulæ præcepta, adhuc simpliciter, & absolute in suo primævo vigore, ac obligatione permanere, seque ad omnia, & singula, nullo excepto, simpliciter, & absolute observanda tanquam adhuc obligatoria, adstrictos esse. Lege attente prædictas Bullas, & præcipue Bullam XI. Innoc., diligenter conferendo antecedentia cum consequentibus, atque Pontificum intentionem ex verbis tum in Proemio, tum in Corpore Constitut. positis eliciendo, & hunc eorum fuisse unicum finem, atque scopum perspicies.

Jam vero ad secundum quod pertinet, ut verus pariter illius protestationis sensus, atque vis innotescat, recolendæ sunt aliæ quædam Declarationes, quas præter Nicolaitam, & Clementinam Ordo noster acceptavit, & acceptat. Hæ autem sunt. Declarationes Mart. IV., & V., Pauli IV., & Pii IV. de Syndicis; quæ etiam ab Innoc. XI. afferuntur, uti vidimus, & approbantur; Joann. XXII. de Granariis, & Cellariis universim, & absolute concessis; Leonis X. de pretiosis Paramentis, & Vasis retinendis tamquam Regulæ non contrariis; Urbani VIII. de Legatis etiam perpetuis recipiendis, & habendis; Clem. VII. de compositionibus cum Hæredibus, vel testamentariis Executoribus, per Syndicum super relictis in Testamentis, faciendis.

Hæc autem omnia pluribus, quæ in Declarationibus Nicol. & Clem. disposita, ac declarata sunt, si strictim ut sonant, & sine ulla discretione sumantur, omnino adversari manifestum est; adeo ut Clem. V., (ut nunc solum exemplum de *Paramentis* accipiamus) non dubitaverit ff. *Licet vero* affirmare, quod ea *paupertati tantæ apud humanum judicium derogant manifeste*. Quapropter si, cum Ordo protestatur se velle vivere secundum Declarationes Clem., & Nicol. id de his duabus solis, non etiam de aliis, vel de his duabus infinite, & universim, seu *per omnia*, *in omnibus*, & *omni modo* intelligi

ligi necessario oporteret, jam Ordo contraria, adeoque inter se se pugnantia simul, & sæpe protestaretur necesse esset.

Quid igitur protestatus est, & protestatur, & quis est sensus, atque significatus hujusse protestationis? Cum in his duabus Declarationibus sint universalius, distinctius, clarius determinata, atque explicata tamquam obligatoria omnia, quæ in Regula continentur, præcepta quam antea vel postea fuerit in aliis Declarationibus factum adeoque hæ duæ sint omnium celebriores, ac præstantiores, utpote quæ etiam in Jure Canonico potissimum insertæ habeantur; cumque circumferatur, & fieri possit, ut ex his præceptis nonnulla sint dispensata, proindeque non amplius sub obligatione esse, primo, & principaliter protestatur, se velle vivere præsertim juxta illas duas Declarationes, nempe se velle recognoscere, & admittere tum quoad numerum, tum quoad obligationem omnia, & singula præcepta, quæ in illis determinata, & explicata sunt, non admittendo, seu potius reijciendo quamcumque veram, ac propriam, si qua est, sive quoad præceptorum numerum, sive quoad omnium, & singulorum obligationem, *substantialem relaxationem*, seu *dispensationem*. Hic est primarius, atque principalis sensus, ac significatio Minoriticæ hujus protestationis. Nam iterum dico, Ordo & alias etiam Pontificum Declarationes, cujusmodi sunt prædictæ, acceptavit, & alias consimiles acceptaret, si ab ipsis fierent, non contrarias *substantialiter* Declarationibus Clem., & Nicolai, sive non *relaxativas*, aut *dispensativas* præceptorum Regulæ sive quoad numerum, sive quoad obligationem *in substantia* eorum. Tum *secundario*, & *minus principaliter* etiam protestatur, se vivere velle secundum eas duas Declarationes, nimirum se velle observare, quoad tamen datur, ac licet, salvis aliis quoad alia a se acceptatis legitimis Declara-

tio-

tionibus, observare, inquam, omnia præcepta Regulæ cum omnibus *conditionibus*, *modis*, *arctationibus*, quæ in illis duabus traduntur, & declarantur, hisque non tanquam ad *substantialem* præceptorum observationem ex illorum Pontificum mente pertinentibus, sed pertinentibus solum tanquam ad quamdam *accidentariam*, atque *modalem*, hoc est ad *puriorem*, *cautiorem*, ac *securiorem*, magisque *meritoriam* observationem. Hic est secundarius, & minus principalis sensus, ac significatus hujusmodi seraphicæ protestationis. Etenim has *conditiones*, & *arctationes* præscriptas in Declarationibus Clem., & Nicol. cum aliis legitimis Declarationibus simul a nobis acceptatis, universim stare omnino non posse, suo loco ex professo demonstrabitur. Congregationes equidem nostræ illæ strictiores, de quibus etiam fit mentio in Bulla Innoc. XI., quæ nullis aliis Declarationibus acceptatis, ad solas duas Nic. III., & Clem. V. Declarationes se se specialiter *absolute*, & *generatim* obligarunt, ne dum ad solam præceptorum *substantiam*, sed etiam ad omnes illas *modalitates*, seu *arctationes*, ad *substantiam* licet per se non spectantes, prorsus tenentur: nos autem, qui alias etiam Declarationes acceptavimus, ad eas *arctationes*, quoad compati cum iisdem Declarationibus nequaquam possunt, non tenemur. Videant singuli sua.

Hæc XII. Suppositio, ejusque Animadversio, utpote rem magnam, multumque quæstionis præsentis resolutioni conducibilem, uti initio diximus, continens, maxime attendenda, atque retinenda est.

SUPPOSITIO. XIII.

POntifices in suis Regulæ Declarationibus nova præcepta nobis non imposuerunt, sed tantum ejusdem præcepta determinaverunt, & explicaverunt, atque congruos

gruos illis purius, & securius observandis modos tradiderunt.

Patet per se, & ex ipsarum Declarationum tenore. Et si quidem nova præcepta inposuissent, iis tamen minime obligaremur, quia non Pontificum regulas, aut præcepta, sed S. Francisci solum Regulam ab illis confirmatam, & explicatam profitemur.

SUPPOSITIO XIV.

NUllum Ordinis Statutum obligat ad culpam mortalem, vel venialem ex vi ordinationis suæ, nisi in substantialibus Votorum, Præceptorum naturæ, Dei, Ecclesiæ, & Regulæ; & in aliis, nisi culpa per verba expressa, vel æquipollentiam exprimatur.

Patet per se se. Porro dicitur primo *ex vi ordinationis suæ*, quia obligare potest *vi alicujus virtutis*, ad quam actio pertineret, quo modo docent Moralistæ. Deinde dicitur *nisi culpa exprimatur*, quia verbis etiam utcumque præceptivis, vel inhibitivis significari, aut induci potest obligatio tantummodo ad pœnam. Quod liquet generaliter ex communi Moralistarum doctrina, peculiariter vero, & in re nostra ex Declarationibus factis a S. Joann. de Capistrano in Historia N. IX. ff. *Undecimo*: *declaro*: imo & ex ipsis recentioribus Sambucanis Statutis, ubi cap. 12. ff. 24. eorum mandatur observatio *sub pœnis in eisdem* contentis. Et profecto omnia Statuta, quæ ante Sixtum V. ad peccatum obligabant, ab eo per Bullam *Circumspecta Sedis* abrogata sunt.

SUPPOSITIO XV.

QUantum ad præceptum de recursu ad pecuniam, non omnes ordinis Constitutiones inter se confor-

mes,

mes, sed variæ, imo & quodammodo contrariæ sunt.

Patet ex earum tenore. Etenim aliæ rigidiores, aliæ benigniores sunt; idque non solum ante, sed etiam post Nicol. III., & Clem. V., imo etiam post Mart. IV., & V., Pauli IV., & Pij IV. Declarationes. Nam ex Capitulis Generalibus, quæ hactenus in Ordine celebrata sunt, iis omissis, quæ vel hac de re nihil habent, vel eadem omnino repetunt: alia, quod ad *necessitatem* spectat, requirunt omnes *Conditiones* in Notis Nicol. n. 2. commemoratas; quod vero ad *licentiam* attinet, exigunt *expressam*, *specialem* etiam ad res minimas quascumque, easque etiam determinatas: alia quoad *necessitatem* eas omnes *conditiones* prorsus omittunt; solum enim dicunt pro *necessitatibus quibusvis*; *quibuscumque*; *occurrentibus*: (quod etiam Pontifices plures, uti jam vidimus, dixerunt): quoad *licentiam* vero tantum dicunt *de licentia*; scitu; *scientia Prælati*. (quod iidem pariter Pontifices dicunt.) Vide in fonte si vacat apud Chronistas nostros. Omnia etenim ad verbum referre Supervacaneum est, tum quod ex Statutis quæstio præsens dirimenda non est, tum quod non obligant nisi eo sensu, quo diximus Suppos. præcedenti. Sed quoniam Statuta Sambucana præ aliis omnibus hoc tempore in manibus sunt, iisque plerumque utimur, ex iis volo quæcumque vel *pro*, vel *contra* in rem nostram facere possunt, specialiter in medium afferre; præsertim quia in favorem Censoris, & ex abundanti etiam ea infra primum nobis objecturi, deinde soluturi sumus. Hujusmodi autem Constitutiones sunt confectæ, & compilatæ an. 1663. a P. Generali Michaele de Sambuca ex Statutis duorum Capitulorum, nempe Romani. 1639., & Toletani 1658., quorum alterum ab Urbano. VIII. alterum ab Alexand. VII. confirmatum est: sed illæ a nullo Pontifice confirmatæ sunt.

Omissis igitur, quæ in his statutis de vestimentorum

com-

communitate habenda cap. 6. pag. 27. n. 7., & de subministrandis omnibus necessariis cap. 2. pag. 17. n. 19., & cap. 3. pag. 20. n. 2. ordinata sunt, præsertim quoad pecuniam sequentia expressius habentur.

Cap. 4. pag. 22. n. 8. *Nemo sine sui Superioris licentia eleemosinam pecuniariam vel pro se, vel pro aliis Fratribus quærere, aut accipere audeat sub pœna proprietarii: qua pœna puniatur, qui sine* Superioris licentia eleemosinam *pecuniariam in manu Syndici Apostolici tenuerit.* (en Lector statim ab ipsismet Constitutionibus nostris diremta præsens quæstio de *peculiari pecuniæ usu*, seu *Deposito apud Syndicum*, & quidem *indeterminato*, atque etiam *diuturno*, & pro *necessitatibus* consequenter etiam *futuris* ideoque declarata licita, ac tuta, & Regulæ, & Voto &c. conformis affirmativa sententia mea, ut nunc tute ipse ratiocinando colligere potes, & a me suo loco evidenti ratiocinatione demonstrabitur.)

n. 9. *Nec Prælatorum quisquam alicui subditorum licentiam accipiendi, vel dandi in universum concedat, sed peculiaris facultas sit semper necessaria ad quascumque etiam minimas res comparandas.*

n. 14. *Nullus ad pecuniam recurrat, nisi existente vera, præsenti, aut imminenti necessitate propria, quam antea suo Provinciali manifestet, & de illius licentia in manus Syndici tantum reponi, & ejus interventu expendi faciat. Quod si necessitas urgeat, & Provincialis haberi non possit, id de consensu, & de licentia Guardiani faciat. Si antequam expendatur pecunia Provincialis advenerit, teneatur ipsum ut supra convenire. Qui aliter pecuniam habuerit, vel expenderit, in pœnas proprietariorum incidat.*

Cap. 5. pag. 33. n. 3. *Laboris merces, si pecuniaria fuerit, per ipsos solventes Apostolico Syndico consignetur: sin minus Superioribus assignetur; contraveniens ut proprietarius puniatur.*

n. 4. *De mercede vero hujusmodi quæ Fratribus necessaria*

ſaria fiernt , Superiore Locorum in communi quidem opportune provideant : liberum tamen ſit & Provincialibus, & aliis Locorum Superioribus , ſi eis expedire videbitur, de pretio laboris hujuſmodi pro illis laborantium neceſſitatibus ſatisfacere , pro quibus eiſdem alias providere tenerentur .

Cap. 9. pag. 67. nu. 1. *Omnibus Ordinis noſtri Concionatoribus in virtute Sanctæ obedientiæ ..... ultra pœnas in proprietarios ſancitas, auctoritate apoſtolica* (nempe Urbani VIII. , qui ſub iiſdem pœnis id præcipit *Militantis Eccleſiæ* 1640.) *præcipimus , & mandamus , ut de eleemoſynis pecuniariis ſibi oblatis , vel aſſignatis nullo modo diſponant, nec eas ab offerentium manibus in ſuas recipiant , vel in manibus Procuratoris , ſive alterius cujuslibet deponi faciant , ſed eaſdem integras Provinciali notificent , qui de illis juxta Regulæ præſcriptum diſponat , eaſque applicet vel Conventui , in cujus quæſtuatione prædicatur , vel de cujus familia Prædicator ipſe dignoſcitur .*

At contrarium omnino ſtatuti Innoc. XI. *Exponi nobis* 1685. nempe prædicatores id efficere debere, ut eleemoſynæ pecuniariæ ſuæ prædicationis, ab Offerentibus eas, *duntaxat Syndicis Conventuum libere, & integre tranſmittantur*: quæ diſpoſitio , & ordinatio nunc obſervanda eſt.

Pro coronide hujus Suppoſitionis admoneo Lectorem, me in Editione prima, loquendo de Sambucanis hiſce conſtitutionibus; ſemel , & iterum dixiſſe , has ſolas apud nos in præſentia in vigore, & uſu eſſe: ita enim tum putabam. At poſtea ab Adm. R. P. Carolo Maria Peruſino in ſua Chronologia Hiſtorico Legali Romæ, dum Procuratoris Generalis munere fungebatur , edita ann. 1752. , contrarium edoctus ſum . Nam in Præfatione de his Statutis hæc verba habet. *Ne mireris autem* , inquit , *quod in iis iterum impreſſum non vi-*

deas Statutorum Compendium , quod Compilatio Sambucana vulgo audit. Cum enim Transmontana Familia nullius pene ſit uſus, in hac vero noſtra nullam obtineat auctoritatem, ſupervacaneum eſſe duxi rebus inutilibus paginas onerare. Ex quo patet, me non male ſupra dixiſſe, quæſtionem præſentem non neceſſario ex Statutas dirimendam eſſe. Quare omnia, quæ ex his tradidimus, & ſuper his diximus, ad eruditionem potius, quam ad neceſſitatem dicta ſunto.

SUPPOSITIO XVI.

Subſtantia Voti Paupertatis quoad pecuniæ uſum tribus; præcepti vero Regulæ quattuor omnino continetur.

Nempe 1. quoad utrumque, ut nullas proprietas erga pecuniam intus habeatur, vel extra oſtendatur quo paratus animus ad eam Superioris reſignandam continetur: 2. ut pecunia inſumatur pro *neceſſitatibus, utilitatibus &c.*, non pro *ſuperflaitatibus*: 3. ut inſumatur de Superioris licentia: 4. quoad Regulæ præceptum ut inſumatur non per ſe, neque per interpoſitam perſonam, ſed vel per privatos Amicos Spirituales, vel per Syndicum, qui communis Spiritualis Amicus eſt.

Quoad Votum patet ex Def. 1. 2. & 15. &c. quoad Regulæ vero præceptum ex Regula ipſa, ex Pontificiis declarationibus, earumque obſervationibus paſſim traditis in Hiſtoria, & ex Def. 3. 4. 6. & 7. Itaque quo ad Votum ſimul atque Regulam ſpectat, cum hæc quattuor in obſervatione hujus Voti, & tam gravis præcepti facis, ſalva ejuſdem Voti, ac Præcepti ſubſtantia, ideoque ſalva hoc modo tua conſcientia eſt.

ANI-

ANIMADVERSIO.

AD secundam Suppositionis partem quod attinet, ad substantiam nimirum præcepti Regulæ, notandum est, eam *rigorose*, *præcise*, & ut Scholastici loquuntur, *formaliter*, duobus tantum, videlicet 1., & 4. contineri. Id quod aperte docet Felix *Potestas Exam. Eccles.* Tom. I. part. 2. pag. 122. num. 1158. : Corduba *Exposit. in Regul.* cap. 4. quæst. 17. pag. 247., & pag. 254. : & Marchantius loco supra Suppos. X. laudato; idemque omnes Expositores asserere habent, cum manifeste pateat tum ex Regula ipsa, tum ex Pontificiis Declarationibus, præceptum de pecunia *substantialirer* in ejus abdicatione quoad omnimodam proprietatem, & usum, seu quamcumque civilem administrationem, atque contrectationem, sive per se, sive per interpositam personam contineri. Sed nos *latius*, & *universalius* etiam ex abundantia præcepti *substantiam* respicientes, scilicet qua comprehenduntur omnia necessario requisita in praxi ad innoxiam ejusdem observationem, omnibus iis quattuor ejus *substantiam* constituimus, quia non nisi his intervenientibus ad praxim redigi potest. Unde non erat, cur ab Adversario contradictionis argueremur, quia in Martinianis Constitutionibus præcepti *substantiam* tantum in duobus, hoc vero loco in quattuor constituamus. Nam ideo id fecimus, tum quod *formaliter* in duobus solum, ut superius diximus, vere consistit, tum quod ibi obiter duntaxat hac de re loquebamur, ut ferebat occasio, hic autem pleniorem eramus doctrinam tradituri.

Quod autem pertinet ad secundum Suppos. requisitum, ad *necessitatis* nempe qualitatem, pro qua ad pecuniam licite recursus fieri potest, an etiam de præ-

cepti *substantia* sit, quod *necessitas* comitata semper esse debeat omnibus *conditionibus*, seu *arctationibus* præscriptis a Nicolao, & Clem. & præsertim ea *artactione* principali de *præsentia*, vel *imminentia* tantummodo *necessitatis*, in qua re Censor asserenda multus est, ex Concluf. II. apparebit. Interim si is etiam id cupiat, liberaliter a me hic donatum accipiat. Sint igitur etiam illæ de *substantia* præcepti: nam hoc atiam dato, nihil tamen hinc detractum veritati sententiæ principis, quam propugno, suis locis Lector agnoscet.

Cor. 1. Hinc Frater Minor nequit tenere neque apud Syndicum pecuniam tanquam sui, & ad eam cum auctoritate &c. recurrere: sicuti neque tenere, aut recurrere pro *superfluis*, & *ad divitias*, *ad copiam*, *ad thesaurizationem*, *&c.*, id que tum ex vi Regulæ, tum ex vi Voti Paupertatis; quia utrumque contra utriusque *substantiam* est; unde ad id licentiam neque Superior dare potest.

Cor. 2. Hinc omnes illæ quinque *conditiones* ex parte *Recurrentium*, & *Recursus* recensitæ in Notationibus Nic. III. num. 4. ad *substantiam* præcepti Regulæ pertinent, quia per illarum quamlibet aliquod trium istorum subvertitur, ut consideranti liquet. Sed quinta ad Syndicum non spectat.

SUPPOSITIO XVII.

JUdicium de necessitate, ejusque provisio tum in specie, tum præsertim per recursum ad pecuniam ad Superiores pertinet: utrumque autem etiam aliis committi potest: & Subditi Superiorum judicio quoad *necessitatem*, vel *superfluitatem*, nisi de excessu constiterit, stare debent.

Patet ex Historia N. IV., not. 3., & N. IX. ff. *Tertio*, & not. 4., & N. XVI. q. 4. ad 4. Nomine autem

autem Superioris sive ex rei natura, sive ex lata lege; sive ex consuetudine; patet, intelligi hic illos omnes; qui præsunt, habentque tanquam Prælati ecclesiasticam jurisdictionem; vel tamquam Patresfamilias politicam; & œconomicam administrationem.

ANIMADVERSIO.

Quod spectat ad curam, ac sollicitudinem recurrendi pro necessitatibus ad pecuniam præcipue Superioribus incumbentem, quæ tamen etiam Subditis ab iisdem demandari potest, diligenter notandum est; unde isthæc cura, sive potestas, & obligatio Subditis providendi, sive universim, sive in nostri, aut aliorum Ordinum Superioribus oriatur; quid sit; & quomodo speciatim a nostris exerceri debeat, aut possit: præcipue ob doctrinam, quam Adversarius hac de re tradit; probatque toto cap. 8. pag. 26. Etenim docet, in Superioribus Regularium possidentium in communi, hanc facultatem esse juridicam, proprietariam, dominativam; atque oriri ex eo, quod Superior rerum Monasterii Dominus est, nomine Conventus possidet, ejusque rerum dominium repræsentat; & hanc esse rationem; cur talis Superior iis Subditis peculium licite concedere possit: indeque consequenter colligit, apud Minores nihil vel in communi possidentes, Superiorem Subdito nullo modo peculium concedere posse.

Sed enim in hac doctrina ex tribus, quæ in ea involvuntur, duo falsa sunt, tertium nihil nobis etiam obsistit, cum neque in rem nostram sit. Itaque primo falsum est antecedens ut Schola loquitur, & falsa etiam consecutio. Falsum antecedens, quia falsum est, Superiorem, etiam apud Regulares in communi possidentes, rerum dominum, ac proprietarium esse. Nam si ita foret, primo bona a se acquisita tanquam pro-

pria, aut saltem nomine, Conventus possidere posset; quod tamen a Clem. VIII. *Nullus omnino* interdicitur per illa verba *etiamsi Superior sit*. Deinde non *in communi*, seu non *Conventus* ipse, aut *Communitas*, sed *in particulari*, & veluti *particularis* quidam possideret, nam etiam Superior ipse nihil aliud, quam unus quidam de communitate est, & rerum dominium non sequitur dignitatem, sed personam, aut naturam. Tandem de Bonis Monasterii disponere utcumque posset, & in quoscumque usus expendere contra id, quod habetur cap. *nullam* 18. q. 2. cap. *Edoceri* de Rescript. &c., eaque etiam furari absque restitutionis onere, quia constat dominum hæc omnia facere posse. Non est igitur verus dominus, aut proprietarius, sed tantum Œconomus, Administrator ex cap. *Fraternitatem* de Donation., Dispensator bonorum nomine, & vice Communitatis ipsius, quæ possidet, & domina est: eodem fere pacto, quo in sæcularibus Communitatibus constituuntur Administratores, qui earum bona administrant, quorum tamen non ipsi, sed Communitates dominus sunt.

Præterea falsa est etiam consecutio; quia etiamsi Superior verus dominus esset, non propterea tamen ista est formalis ratio, cur Subditis peculium licite concedere posset: alioqui posset eis aut nomine suo, aut saltem Conventus nomine concedere etiam peculii dominium, ac possessionem, quod est attamen adversum Paupertatis Votum; cum dominus rei per se etiam ejus dominium in alios transfundere possit, neque Subditi quoad hoc pejoris conditionis ipso Superiore sint, quippe omnes æqualiter Voto Paupertatis obstricti.

Denique quod ad Superiores etiam Fratrum Minorum spectat, rogo, de quo peculio loqui intendit Adversarius? de peculio in rebus, an in pecunia? si in rebus, jam constat, eos suis subditis posse concedere, & porro concedere solere, ut scilicet non omnia resignent Communitati,

ubi

ubi re vera non eſt, non minus ac concedere poſſint, & ſoleant Subditis ſuis Superiores aliorum Regulurium; & ecce quoad hoc nulla differentia illorum ab iſtis, en omnium conditio, ac ratio par. Si vero in pecunia; primum neque hoc peculium ſeparatum, ubi vera vita communis ſervatur, ulli Subditorum a ſuperiore Regularium in communi poſſidentium licite concedi poteſt, cum hoc ſit contra Tridentinum; quare in hoc nihil diſcrepant a Minoritis alii Regulares. Deinde cum, quod ſpectat ad pecuniæ uſum, nullum aliud diſcrimen intercedat inter nos, aliosque Regulares, niſi quod ipſi *per ſe* & tenere, & uti poſſunt, nos vero per Amicos privatos Spirituales, vel per Syndicum ex Suppoſit. IIII., profecto, ubi non eſt proviſionum Communitas, pro neceſſitatibus noſtris licebit nobis per Syndicum facere de Superioris licentia quod aliis Regularibus *per ſe* licet, ex Corol. ejuſdem, cum nec ratio, neque æquitas patiatur, ut in neceſſitatibus noſtris procurandis aliis Regularibus diſpares ſimus; conſequenter quod alii Superiores circa peculii permiſſionem, aut conceſionem erga ſuos Subditos *per ſe* poſſunt, idem & Superiores noſtri erga nos miniſterio Syndici poterunt. Tandem quod etiam nos poſſimus de Superioris facultate ſaltem pro neceſſitatibus *præſentibus*, vel *imminentibus* ad pecuniam peculiariter recurrere, vel apud Amicos Spirituales, vel apud Syndicum reponendam, (nam nunc non de *neceſſitat.bus*, pro quibus peculium concedi poſſit, ſed univerſim de hac conceſſione, num ea etiam Superioribus noſtris modo licito, nempe per Syndicum, erga nos competere poſſit, difficultas eſt) apud omnes indubium eſt.

Sed hoc dilucidius adhuc, atque preſſius urgeamus. Si ratio præciſa, cur Superior apud Fr. Minores non poſſit Subditis licentiam concedere habendi, & retinendi penes Syndicum pecuniam ut in quæſtione ex-

corporatam, est quod, cum ii nihil proprium nequidem in communi habere, aut possidere valeant, omnis pecunia apud eundem Syndicum pro illis deposita, ac retenta sub solius Ecclesiæ, seu Pontificis dominio, ac proprietate sit, profecto hoc oriri non potest, nisi vel ex ipsa natura, & ratione talis dominii, cum qua pugnet hujusmodi excorporatio, vel ex voluntate, & præcepto solum ipsiusmet Pontificis, ut omnis pecunia ad se pertinens teneatur apud Syndicum in arca communi, & tantum pro communi incorporata, ut nulla pecunia pro peculiari aliquo excorporata. Atqui neutrum obsistit. Non primum; quia nulla ratio assignari potest repugnantiæ istius, cum liquido constet, nihil obesse dominio, ac proprietati, quam super eam pecuniam Pontifex habet, quod teneatur vel tota incorporata, vel ex parte excorporata, quandoquidem utut teneatur, semper illius est, ideoque potest semper de ea utcumque absolute disponere ad placitum, in qua dispositione dominii, ac proprietatis ratio vere, ac natura continetur. Non secundum; quia hujusmodi præceptum vel coincideret cum generali præcepto imposito ab Ecclesia omnibus indiscriminatim Regularibus de Vita communi, seu esset illud idem, vel esset aliquod peculiare impositum Minoribus duntaxat. Si primum igitur vel non poterit ne quidem Superior Regularium in communi possidentium suis Subditis peculium concedere, quod tamen admittit Adversarius; vel si is poterit, poterit idem facere etiam Superior F. Minorum cum Subditis suis, cum ponatur generale illud præceptum indifferenter afficere omnes Regulares. Quare sicut, non obstante hujusmodi præcepto, Pontifices, ubi non viget vita communis, universim concedunt, ac permittunt peculium, adeoque apud alios Regulares, cum Superiorum licentia, quam consequenter ab eis dari posse decernunt, ita ex eo-

dem

dem capite, & ob eamdem rationem concedunt æqualiter, & permittunt etiam apud Fr. Minores. Si secundum; vel esset præceptum proveniens a solo jure humano, seu pontificio: vel ex jure, seu natura, & obbligatione Regulæ a Pontifice ita explicatæ. At non ex hoc secundo jure; cum constet ex pluribus Pontificibus Regulam declarantibus, & præcipue ex Clem. VII., non esse contra Regulam, ut de *scitu*, & *assensu* Superiorum (proin hunc hi dare possunt) pecunia etiam excorporata penes Syndicum haberi, ac teneri a Subditis possit, ut a nobis alias est obiter demonstratum & Concl. I. ex professo demonstrabitur. Sed neque ex primo jure: tum quod hoc peculiare pontificium præceptum solo arbitratu, & sine efficaci ratione asseritur: tum quod Pontifices quoad hoc, præceptum nullum supra Regulam tradiderunt; vel etiamsi tradidissent, illud non profitemur ex Suppos. XIII.: tum denique quod si hujusmodi esset, foret rationis, & obligationis ejusdem cum generali præcepto imposito a Tridentino, & pluribus Pontificibus omnibus indistincte Regularibus; atque ideo sicut ex eorum concessione, ac permissione aliis Regularibus non obstat, ut supra diximus, ita neque nobis obstaret, quin peculium eodem modo a nobis quoque haberi posset. Quod enim ex hoc jure, & in hac re Pontifices Regularibus benigne permittunt, omnibus permittere perspicuum est.

Quapropter apparet, omnia quæ in allata doctrina Adversarii de differentia quoad peculium Fr. Min. ab aliis Regularibus dicta sunt, tum falsa, tum ad rem non esse, tum cum eo ipso pugnare.

Unde igitur (ut ad propositum redeamus) oritur cura, & facultas provisionis generaliter in omnibus Superioribus, specialiter vero in Supecioribus Fr. Min. tum quoad res, tum quoad recursum ad pecuniam?

Uni-

Universe quoad omnes oritur *per se*, & primario ex ipso Officio, seu ex natura, & obligatione illius; quoad Fr. Min. autem secundario oritur ex intentione, & injunctione Institutoris manifestata in Regula cap. 4. Cum enim Superiores omnes veluti Patresfamilias habeant œconomicam erga Subditos, uti prædiximus, potestatem, & rerum administrationem, sive possideant Regulares, sive non possideant, tenentur eis necessaria quoquo modo providere, sicuti tenentur Patres filiis suis. Quod si Regulares bona in communi possideant, de iis bonis, aliisque provenientibus, Superior providet subditis vice Communitatis, cujus Administrator est, ideoque ejus cura, & provisio *juridica* hoc modo, & *auctoritativa*, cujusmodi Administratoribus competit, est; si vero nihil possideant ne quidem in communi, Superior providet de bonis provenientibus tantum vice eorum, sub quorum dominio ea bona sunt, ideoque ejus cura, ac provisio, non *juridica*, aut *auctoritativa*, sed solum *directiva*, & *precaria* est. Et talis est cura, atque sollicitudo provisionis in Superioribus Fr. Min. sive quoad res ipsas, sive præsertim quoad pecuniam. Nam de rebus in specie, quia harum usus eis non inhibetur, *per se* ipsos quidem, de rebus vero per usum pecuniæ, quoniam hic illis usus intercluditur, per privatos Spirituales Amicos, vel per Syndicum provident, idque tantum *directive*, & *precario*, vice, ac nomine vel eorum Spiritualium privatorum Amicorum, vel Sanctæ Sedis: hanc que curam, ac facultatem, & hoc modo, non aliam, aut alio modo etiam Subditis conferunt, quando conferunt, cum certum sit, suam illis facultatem conferre posse. Hujusmodi vero sufficere, ut peculium apud Syndicum pro suis necessitatibus separatum Subditus licite habere possit, sicuti habetur pecuniæ depositum pro Communitate, in quo præsentis quæstionis car-

do

do consistit, suo loco ex professo demonstrabitur.

Interim ex his funditus evertitut totum id, quod tanquam magnum fundamentum posuit Adversarius per totum caput 8. supralaudatum, simulque totum, quod supra illud quomodocumque in ejus Opere constructum est, nempe de discrimine aliorum Regularium possidentium a Fratribus Minoribus quoad peculii concessionem: magisque quinimo firmatur cuntraria doctrina nostra, quam statuimus Suppos. IIII., videlicet Fratres Minores, exceptis omnibus ibidem traditis, moxque etiam tradendis, in aliis pares cæteris Regularibus esse.

SUPPOSITIO XVIII.

FRatres Minores non tenentur ad alios usus rerum arctos seu pauperes, quam qui in Regula continentur, & eo obligationis modo, quo in illa continentur.

Patet ex Declaratione Clem. V. N. VII. ff. *Ex premissis*, & N. IX. ff. *Secundo*. Hujusmodi autem usus arcti ac pauperes his præceptis, ut notum est, continentur: quod vestimentis vilibus nempe in qualitate, & pretio induantur: quod duobus tantum tunicis utantur, seu habeant duas tantum pro usu: quod non portent calceamenta; quod non equitent: quod non recipiant pecuniam &c.: quibus etiam addi suo modo potest: quod jejunent a festo &c.

Neque refert, quod Minorum Paupertas vocetur in *Regula Altissima*, in Declarationibus vero Nicol., & Clem. *Tanta*, *Summa maxima*: quodque primus ff. *Insuper nec utensilia* loquens de rerum usu, ejusque dispositionem discretioni Prælatorum relinquens dicat. *Insuper nec utensilia*, *nec alia præter eorum usum ad necessitatem*, *&* *officiorum sui status executionem .... ad ul-*

lam

lam superfluitatem, divitias, seu copiam, quæ deroget paupertati, vel ad thesaurizationem . . . . Quinimo in omnibus appareat in eis quoad dominium omnimoda abdicatio, & in usu necessitas. Et infra. *Ista tamen sic faciant, quod semper in eis, & eorum actibus Paupertas Sancta reluceat, ut ipsis ex eorum Regula invenitur indicta.* Secundus vero ff. *Quamvis* loquens de vasis; ac paramentis ecclesiasticis, affirmansque Minoribus *sufficere debere decentia, in numero, & magnitudine sufficientia competenter*, subdat. *Superfluitas autem; aut nimia pretiositas, vel quæcumque curiositas in his; seu aliis quibuscumque non potest eorum professioni, vel statui convenire*: cum *enim hæc sapiant thesaurizationem, seu copiam, paupertati tantæ quoad humanum judicium derogant manifeste*.

Quod hæc, inquam, de Minorum Paupertate dicantur; nihil adversus id, quod in Suppos. asseritur, refert. Etenim quod ad hujusmodi paupertatis nomenclaturam spectat, primum etiam Fratrum Prædicatorum paupertas a Pontificibus in suis Bullis nuncupatur altissima, quæ tamen quantum distet a nostra quoad rerum usus jam compertum est. Deinde cur Minorum Paupertas potissimum sit, ac dicatur altissima, atque quot, & quibus fundamentis ejus celsitudo, præ aliorum Regularium paupertate, simul consistat, atque consurgat, jam Suppos. IIII. explicatum, ac determinatum est. Quamquam ejus *altitudinem* principaliter in expropriatione etiam in communi, in qua minorum Ordo ab aliis omnibus signanter discriminatur, consistere norunt omnes. Quid vero dicendum, si cætera omnia addantur, quæ ad hanc paupertatem pertinentia hic, & ibidem exposita sunt? An omnia ista simul unita non satis esse tibi videntur ad constituendum genus quoddam excelsæ, & singularis, atque extraordinariæ paupertatis?

Quod

Quod est denique ad prædictos textus Nicol., & Clem., primum quid ambo sibi velint, ex illis verbis *ad nullam superfluitatem*, *divitias*, *copiam*, *thesaurizationem*, *nimia pretiositas* (nota etiam verbum *nimia*) *quæcumque curiositas*, me etiam non admonente, plusquam satis apparet: neque nobis quidquam his contrarium statuere unquam venit in mentem. Præterea quid sibi peculiariter velit Nicol., ipsemet in fine explicat sese, cum dicit, *ut ipsis ex eorum Regula invenitur indicta*. At sola *paupertas sancta* in Regula *invenitur indicta* quoad rerum usum (additis expositis, uti supra diximus, Suppos. IIII.) quæ a Clem. V. expresse declarata est; nempe quæ arctum usum constituit in iis, quæ in Regula *præceptorie continentur*, *& quo obligationis modo continentur*; in cæteris vero quæ constituit usum *moderatum Temperantiæ*, ut loquitur idem Clem., communem cæteris Christianis. Adde etiam quæ statuit usum rerum *moderatum*, ut mox dicemus, ex vi Voti Paupertatis, communem cæteris Regularibus: neque aliud per ea Nicol. verba *& in usu necessitas* significatur; alioquin Clem. aperte contradiceret Nicolao, quod nefas est cogitare. Ad textum tandem specialiter Clem. de vasis, & paramentis quod pertinet, præter quam quod in eo eliminatur a Pontifice, sicut in illis, ita in aliis omnibus tantummodo *superfluitas*, *nimia pretiositas*, *quæcumque curiositas*, uti diximus, non *decentia*, non *competentia*: id quod nos ipsi semper pariter dicimus, & dicemus: jam constat, fuisse a Leone X., ut alibi diximus, aliter declaratum. Nam fuit declaratum, hujusmodi vasa, & paramenta a nobis sine culpa retineri posse, tanquam paupertati nostræ minime contraria, cum eorum nos non simus domini, sed custodes, ad majorem Dei cultum inserviant, neque nos reddant ditiores, & commodiores, ut ex ejus Bulla liquet. Immo ex hoc reddimur, & efficimur pauperio-

res.

res. Sæculares enim, qui magis exteriori apparatu, quam ratione ad pietatem moveri solent, exinde existimantes nos esse divites, ideoque commoditatibus abundare, eleemosynas aut nobis omnino subtrahunt, aut conferunt perquam exiguas. Quo fit, ut tam in victu, quam in vestitu, cæterisque ad vitæ sustentationem, atque officiorum executionem necessariis, multo sane nos pauperius, ac strictius vivamus, quam cæteræ Congregationes nostræ, aut Regulares alii strictiores, qui hujusmodi pretiosis sacris utensilibus haud utuntur, tametsi plus fortasse omnibus in vinea Domini laboremus. Neque tamen de hoc aut contristamur, aut conquerimur, quia paucis pro nobis contenti, magis Dei cultum, quam bonum nostrum quærimus, ejusque honorem nostris commoditatibus anteferimus.

Itaque, ut ad Supposs. nostram redeamus, Fratres Minores non tenentur ad alios usus rerum pauperes, ac arctos, quam quo sensu in Regula continetur. Idem, eodemque prorsus sensu docet etiam recens Auctor supra laudatus in sua Expositione italica pag. 224. art. 5., cujus verba, ut appareat, me communia, ac certa docere, volo in medium afferre. *Sicchè*, inquit pag. 225., *i Frati Minori sono primieramente obbligati a quegli usi poveri, che nella Regola sono espressi; cioè a non aver più di due toniche, ad usare vestimenti vili, a non cavalcare, a non portar calzamenti, de' quali usi poveri a suo luogo abbiamo sufficientemente parlato. Secondariamente all' uso ristretto, povero, penurioso delle altre cose, che nella Regola non sono espresse, i Frati Minori non son tenuti, poichè non essendo tal uso penurioso ne essenzialmente incluso nel Voto di povertà, ne dalla Regola in verun luogo prescritto, i Frati Minori professando di vivere in povertà, e di osservare la Regola, tale povero uso, e ristretto di tutte le cose non hanno promesso. Sono però obbligati ad osservare sempre nell' uso la moderal-*

derazione, *e la temperanza*, *schivando in tutte le cose*, *che usano*, *la preziosità*, *e la superfluità* (en quid sit quod opponitur moderationi, ac temperantiæ) *Così dichiararono in più luoghi delle loro Decretali Nicolò III.*, *e Clemente V.* Et hic affert horum Pontificum loca, quæ nos ipsi ad rem magis illustrandam, confirmandam, & ab oppositionibus vindicandam dedimus supra.

Atque hoc eodem sensu, ac modo inrelligenda sunt ea verba ***habita ratione Regulæ***, ***Instituti***, ***Status paupertatis***, ***quam professi sunt***, quibus Tridentinum, Pontifices, aut Sacr. Congreg. utuntur, cum de usu licito rerum loquuntur pro Regularibus, atque, ut suo loco vidimus, decernunt.

Cor. Hinc in cæteris rebus non tenentur Fratres Minores, nisi in illis, & eo modo, in quibus, & quo modo tenentur cæteri omnes Christiani ex virtute Temperantiæ ut dictum est ex Clem. V. N. VII. n. *6.* & Regulares ex Voto Paupertatis, vel Ecclesiasticæ Ordinationis, hoc est tenentur ad usum ***competentem***, ***honestum***, ***moderatum***, scilicet ad evitanda *superflua*, cum hæc cæteris omnibus interdicantur ex vi hujus Voti, & in paupertate quoad rerum usum, exceptis hic, & alibi dictis, pares cæteris Regularibus sint ex Suppos. IV.

Dico ex vi *Voti paupertatis*, quia fieri potest, ut etiam apud alios quosdam Regulares per Regulam, vel per Constitutiones ad culpam obligantes, vel per peculiaria Vota, generale, & commune Paupertatis Votum quoad aliqua magis, vel minus arctetur, aut extendatur, juxta diversos fines, propter quos Ordines Regulares instituti sunt.

SUP-

SUPPOSITIO XIX.

NEcessitas, pro qua recursus ad pecuniam sive ex Regula, sive ex Voto paupertatis, sive ex ecclesiastica Ordinatione de vita communi licite fieri potest, non indivisibilis, stricta, ac limitata, sed divisibilis, & latior est.

Patet præcipue ex notat. 2. Summæ in calce Historiæ, & ex Defin. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15., in qua ultima definitione etiam recentem Auctorem Reformatum attulimus, quod hujusmodi necessitas non sit indivisibilis, asserentem. Comprehendit enim non solum quod *necessarium*, *sufficiens*, *moderatum*, *competens*, sed etiam quod *utile commodum*, *honestum*, scilicet omne quod *non superfluum* est: imo comprehendit quidquid vel Superioribus, vel subditis de eorum commissione, & assensu prudenter *videtur expedire*; seu quidquid vel Superioris judicio, & opinione (cui subditus, nisi *de excessu constiterit*, stare debet ex Suppos. XVII.) vel etiam subditi ipsius, de Superioris commissione, ac facultate, *necessarium*, vel *utile*, vel *commodum*, vel *honestum* prudenter existimatur, nempe quidquid *non superfluum* est: quo sane *necessitatis* non exigua, ut patet, latitudo continetur.

ANIMADVERSIO.

ETsi, id, quod in hac Suppos. statuimus, de *necessitatis* divisibilitate atque latitudine, adeo ex hactenus sepe dictis manifestum apparet, ut manifestius nihil esse possit, ut criminationi attamen omni aditus præcludatur, ejus sensum, & intellectum libet adhuc magis statuere, ac declarare. Itaque dum dicimus, *necessitatem* non esse *indivisibilem*, ac *limitatam*,

sed

sed *divisibilem*, & *latam*: & insuper *comprehendere quidquid etiam Subditi judicio*, *& opinione videtur expedire*, cave putes nos asserere velle, quod hujusmodi *necessitas* limitibus nullis coerceri debeat, adeo ut comprehendat, atque in usum admittat quascumque etiam *magnas*, *vanas*, *curiosas*, *excessivas*, verbo vere *superfluas commoditates*; & quod Subdictus pro sola libidine *comprehendere quidquid etiam Subditi judicio*, *& opinione videtur expedire*, cavt putes nos asserere velle, quod hujusmodi *necessitas* limitibus nullis coerceri debeat, debeat, adeo ut comprehendat, atque in usum admittat quascumque etiam *magnas vanas*, *curiosas*, *excessivas*, verbo vere *superfluas commoditates*; & quod Subditus pro sola libidine *commoditates* hujusmodi adsciscere possit: id enim a nostro animo, ac voluntate abest quam longissime. Quid igitur per hæc volo, atque contendo? scilicet *necessitatem* id genus non fore adeo *strictam*, *rigorosam*, *scrupolosam*, sicuti quidam nimia severitate abrepti opinantur; scilicet Fratrum propterea judicium hujusce *arctitudinis*, atque *scrupulositatis* amussi non necessario in praxi conformari debere. Itaque contendo, quod ita *necessitas* etiam pro *utilitate*, *honestate*, *commoditate*, *moderata* tamen pro *utilitate*, *honestate*, *commoditate*, *moderata* tamen, *& competenti*, ut notavi ad Defin. 13., sumenda sit: quod etiam subditi ipsi, ubi Superiores iis provisionis curam, deoque profecto etiam judicium relinquunt, *commoditate* hujusccemodi *competenti*, ac *moderata*, vel juxta aliorum vere doctorum ac prudentum Fratrum opinionem, vel etiam juxta suam, & ipsi docti, ac prudentes sint, sine culpa uti possint. Nomine autem *doctorum*, ac *prudentum*, viros non solum *doctrina*, ac *prudentia* vere *probos*, & ut verbis Bened. XIV. Pontificis Maximi, ubi de Jejunio loquitur, utar, *meticulosæ conscientiæ* intelligimus, cujusmodi nonnulli, prætertim in magnis

K Con-

Conventibus, habitantes semper inveniuntur. Quod sane a veritate alienum esse non potest. Cum enim *moderatio* isthæc non *absoluta*, sed *respectiva* esse debeat, quippe quæ desumenda est ex omnibus circumstantiis temporum, locorum, personarum, officiorum, aliarumque similium qualitatum, & accidentium, (adde etiam ex diversitate intellectuum, judiciorum, opinionum, ex epycia; interpretatione &c.) de quibus utpote *infinitis non certa scientia, non ars; non regula dari potest; neque eorum contingit fieri disciplinam*, ut egregie asserit Joannes XXII. pro ut in Historia N. V; adnot. 3., procul dubio non nisi hominum prudentia, tanquam regula, practice discerni, atque determinari potest. Cumque cura, ac sollicitudo provisionis maxime Superioribus incumbat, propterea hæc *moderatio* prudenti eorum judicio dejudicanda in praxi, ac definienda est. Sed quoniam hujusmodi sollicitudo etiam Subditis ab illis certo committi potest, ac porro vel *expresse*, vel *tacite*, seu *facto ipso* ipsis committitur, cum Superiores Subditos de omnibus necessariis providere aut negligunt, aut positive nolunt, aut non possunt, ideoque aut sinunt, aut etiam injungunt, ut se ipsi provideant; idcirco hæc *necessitatis*, aut *commoditatis moderatio* non nisi Subditorum ipsorum judicio, ac prudentia, vel per alios viros probos, ut diximus, vel etiam eodem modo per se in hypothesi prædicta discernenda, atque determinanda est. Quinimo contingere sæpe potest, ut melius ac securius necessitatum occurrentium provisionibus consulatur mediante judicio prudentum Fratrum, quos descripsimus, quam quorumdam aliquorum Superiorum. Atque denique hoc unicum est, quod in hac Suppos. affirmamus.

SUP-

SUPPOSITIO XX.

Complures sunt Conventus, ubi non servatur perfecta vita communis ad formam Tridentini; imo nequidem ad ipsiusmet Regulæ præscriptum.

Hoc est ubi omnia *necessaria*, *sufficientia*, *competentia*, *utilia*, *commoda*, *honesta*, habita ratione omnium circumstantiarum Personæ, Officii, Loci, Regionis, Temporis, & similium, quæ pro omnibus Regularibus per Ecclesiæ Ordinationes, speciatim vero pro nostris etiam per Pontificias Regulæ Declarationes indicta, aut permissa vidimus, singulis Fratribus in communi suppeditentur: quinimo ubi subministrentur saltem omnia, quæ etiam secundum arctos Regulæ nostræ usus in ea præscribuntur. Hoc autem ita esse contingit, non ob Superiorum incuriam, aut Subditorum resistentiam, aut malam omnium simul voluntatem, sed ob ingentem Conventuum inopiam, ac egestatem, quæ tum ex eleemosynarum carentia ob temporum acerbitatem, ac mendicantium copiam causata, tum ex cariori annonæ, cæterarumque fere rerum omnium pretio, tum ex copioso Fratrum numero, aliisque consimilibus ex causis, quæ non nisi difficile tolli possunt, ortum habet. Sed utcumque sit, certum est, Conventus esse quamplures, in quibus re ipsa perfecta Communitas prædicta non extat, neque servatur: & hoc unum est quod a me hic affirmatur.

Verum enim vero Suppositionis ut hujus veritas penitus Lectoribus innotescat, simulque iis innotescat, quam magna sit F. Minorum Observantium sicuti in Voto, ita & in Re paupertas, ponam eis brevi sub oculos omnia, quæ apud nostros Fratribus singulis a Communitate subministrantur, ad hoc ut exinde cognoscere valeant, num, non dico *competentia*, *utilia*,

honesta, *commoda*, sed vel *simpliciter*, uti prædiximus, *necessaria*, Fratres habeant, sicque de practica confestim sententiæ, quæ in hoc Opere propugnatur, veritate, conjecturam facere possint.

Ecce igitur tibi omnes præter propter F. Minorum in universum provisiones: hoc tamen admonito, quod in aliquibus paucis locis contingat quidem eas haberi paulo abundantius, at in multo pluribus angustius etiam, ac diminutius.

Quo ad victum. Præter panem, vinum, &c., unum quotidie duntaxat ferculum, paucissimis exceptis diebus quibusdam: & quidem Carnium tempore, quod ad septem circiter protrahitur menses, carnis semper bubulæ, iis qualitatibus affectæ, quibus in pauperibus Communitatibus esse solet, quantitatis, seu ponderis ad comedendum ut Summum unciarum quatuor; itaque duo hujusmodi fercula ut plus exæquant per diem uncias octo. Tempore vero lacticiniorum pro ferculo mane, & sero ova duo. Jejuniorum, seu piscium denique tempore, quod quattuor circiter menses complectitur cum dimidio, præter modicissimum *primum ferculum*, ut vocatur, aliquot fructibus ut plurimum, aut herbis consistens, pro ferculo ex piscibus vilioribus, atque insipidioribus mane unciæ ad Summum quinque; vespere autem pro consueto ientaculo, cum modico pane parum vel fructuum, vel herbarum ejusmodi. Adeo ut quidam Viri docti etiam Moralis rigidioris consulti a nostris, num ita comedendo teneremur ad jejunium, sine ulla hæsitatione responderint, nos minime teneri. De aliis omnibus, quæ, non dicam ad *utilitatem*, *honestatem*, *commoditatem*, sed ad ipsam absolutam *necessitatem*, attentis circumstantiis supradictis omnibus, quomodolibet sumi possunt, nihil, & nihil. Hæ sunt delitiæ quo ad victum omnes Fratrum Minorum.

Quo ad vestitum. Pro toto Vestiario aliquibus in locis

locis per triennium panni soluti brachia quattuordecim; quibus vix habitus exterior cum caputio, & Mantellus efformari possunt; & quidem vix pariter per biennium honeste, ac decenter duratura: & quamvis alicubi sandalia, chorda, & alia hujusmodi Fratribus tribuantur, alibi tamen desiderantur omnia; tantaque est quorumdam Conventuum inopia, ut Cellæ omni destitutæ suppellectili, vix lecto stramineo sint ornatæ. De omnibus aliis, quæ ad vitam sustentandam, transigendam, adiuvandam, ad officia peragenda, ad munera sustinenda &c. quoquo modo occurrere possunt, quæ distincte commemorare & impossibile, & inutile est, nihil, & omnino nihil. Hæ sunt omnes divitiæ Fratrum Minorum.

Quid vero ad hæc oppositor noster? Ad alios; inquiet, Fratres Conventus se recipiant: ad Conventus Reformatorum; vel ad suos observantiores: ad suos Ministros recurrant, ut spiritualiter valeant Regulam observare.

Egregiam profecto responsionem, atque accommodatam pro necessitatibus provisionem! Sed primum quænam est ista inter Conventus observantes, & inobservantes distinctio? nunquam enim in Ordine nostro audita est. Conventus *Novitiatus*, *Recollectionis*, *Recessus* ab aliis Conventibus distinctos juxta Religionis Statuta æque ac Pontificias Constitutiones in Ordine nostro equidem novimus, at Conventus observantes ab aliis utpote non observantibus distinctos minime novimus: Conventus quippe neque observantes, neque inobservantes sunt, & Fratres in iis degentes sicuti omnes ubique observantes, ita nonnulli inobservantes ubique quoquo modo, si velint, esse possunt. Præterea de quo in præsentia agimus &c, de eo, quod fieri potest, an de eo, quod fieri debet? de præcepto, an de consilio, ac perfectione? nunc ubi

præceptum invenias, quo teneantur Fratres ad præfatos Conventus abire? numquid enim ad Syndicum pro suis necessitatibus cum Superiorum licentia recurrere Regulæ ipsi adversatur [aut nunquid ob id licentiam a Superioribus postulare, non est idem omnino ipsum, ac ad eos, ut Regula spiritualiter observari queat, recurrere juxta ejusdem præscriptum? At neque hoc ecclesiasticæ legi de vita communi oppositum reperias. Ubi namque Pontifices præceperunt, aut se velle significarunt, ut Fratres ex iis Cænobiis, in quibus jam desideratur perfecta vita communis, aut erigi non possit, ad ea Cænobia, ubi forte existit, commigrare oporteat? Vidimus enim in Historia ex pluribus ecclesiasticis monumentis, quas conditiones præscripserint, quibusque propterea cautionibus contenti sint, ad hoc, ut peculium a Regularibus omnibus sine paupertatis Voti, suarumque regularum violatione, haberi possit, ubi de facto non extet ejusmodi communis vita; imo & qua prudentia, atque circumspectione opus sit, ut ejus erigendæ tentamen ineatur. Tantum abest, ut ii de hoc exotico ex uno in aliud Monasterium transferendorum Fratrum remedio cogitaverint. Tu vero ad id nos obligatos, atque coactos contendes, ad quod ne ipsi quidem Summi Antistites obligatos volunt? hoc enim esset eorum tibi partes petulanter arrogare. Porro eos ipsos Reformatorum Fratrum, aut observantium in supra laudatis Conventibus commorantium, qui ne dum studiis vacantes, sed etiam typis aliqua Opera mandantes, aut quidquam aliud agentes, per privatos Amicos spirituales de iis non solum ad hæc peragenda, sed etiam ad vitam restaurandam necessariis sibi provident, sanus ne quisquam, præcepto illis proposito, ad alios Conventus consimiles amandabit? præceptum igitur hujuscemodi profer, tum vero nos aquiescemus.

Dein-

Deinde cum eadem sit Fratrum singulorum ratio, singulis optio dabitur, ut ad præfata possint Cœnobia transire. Fac igitur transeant. At qua potestate? an propria? primum id universim non licet: tum quo successu? exinde enim non nisi incommoda multa evenire necesse est; Conventuum desertio, superioritatis contemtus, subditorum inobedientia, petulantia, pervicacia, vagatio; omnium vero commotio, ac perturbatio evenient: ut omittam, fieri posse, ut non tot Conventus ejusmodi reperiantur, quot necessarii sunt ad hoc, ut pro omnibus concurrentibus essent satis, vel si quidem inveniantur, omnes attamen, vel etiam multos recipere aut nollent, aut non possent. An Superiorum potestate? at quanam facilitate hanc transeundi licentiam te ab iis impetrare posse putas? nam, mi bone Frater, reponere possent, quid nos frustra vexas? nonne *scitu*, & *assensu* nostro vel ad Amicos Spirituales, vel ad Syndicum pro tuis necessitatibus occurrentibus, vel in specie, vel per pecuniam procurandis, sive ex sponte oblatis, sive ex rogatis, sive ex tui mercede laboris tuta conscientia, ac sine Regulæ transgressione potes recurrere? quid igitur alio migrare opus pro tui, & nostri quiete, atque securitate est?

Tandem ubinam, quæso, terrarum Communitas ita constituta reperitur, ut omnibus, & singulis *necessitates*, *utilitates*, *commoditates* pro ætate, pro viribus, pro dignitate, pro muneribus, pro laboribus, pro temporis, loci, regionis natura, aut more, proque aliis circumstantiis, quæ innumere, uti ex ipsorum Pontificum assertione, ac doctrina vidimus, propemodum sunt, præsto sint? Si quam inveniat, in ea sciat Censor, me dixisse, Fratrem pecuniam apud Syndicum separatam nullo modo retinere posse; sciatque pariter, quam insipide me contradictionis insimulet qui fassus sum apud Syndicum non posse retineri pecuniam a Fra-

tre, ubi Communitas est. Perfecta siquidem eo quo diximus modo debet esse Communitas, ut istud universim Fratribus denegetur. Nam sicuti licitum est Superioribus concedere, subditis autem obtinere recursum ad privatos Amicos Spirituales ad normam Nicolai III., & Clem. V. pro iis rebus, quæ a Communitate utut integra non subministrantur; ita quoque ad normam Mart. IV., & V., Pauli IV., & Pii V., seu ad normam eorum Constitutionum Superiores permittere, & subditi providere sibi per pecuniam apud Syndicum separatim depositam poterunt, quæ a Conventu frustra deposcerent, quia & Syndicus Amicus non solum verus Spiritualis, verum etiam & potior cæteris omnibus amicus est.

Quapropter, ut redeamus ad nostra, cum tam pauca ob Conventuum inopiam Fratribus in communi subministrari possint, ac soleant, multo plura vero sint quæ debeant ne dum secundum *competentes*, *& moderatas utilitates commoditates*, ut prædiximus, sed etiam secundum strictas Regulæ ipsius *necessitates*, Superiores benigne subditis indulgent, ut illi *per se*, & *pro se* præstent quod ipsi præstare non possunt, ideoque indulgent, ut per Amicos Spirituales, aliosque modos licitos de omnibus aliis *necessariis*, *utilibus*, *honestis*, atque *commodis*, *competenter* tamen, & *moderate*, non vero *superflue* sibi providere possint: idque vel *expresse*, vel *tacite*, vel *specialiter*, vel *generaliter*, vel pro *brevi*, vel pro *longo tempore*, sicuti ipsi judicant expedire, vel etiam *usu* ipso *per se* semper ab iis *revocabili*, ac moribus receptum est.

Hinc fit, ut subditi de hac Superiorum indulgentia, præter ea paucissima a Communitate, uti diximus, subministrata, cætera omnia ad vitam, studium, officia &c. *necessaria*, *utilia* &c. sibi provisa apud se retineant, simplicemque facti usum habeant v. gr. Utensilium

filium Cellæ, Vestimentorum, Librorum &c. absque eo quod vel illi habendi, ac utendi licentias identidem a Superioribus petant, vel id ab illis Superiores requirant, etsi hi, ut id efficiatur, semper, si lubeat, velle possunt. Unde contingit, ut hac generali permissione, & hoc modo omnium rerum statui nostro permissarum, quas vel Novitii in Ordinem nobiscum portavimus, vel licite postea aquisivimus, peculiarem simplicem usum etiam per totam vitam, habeamus, ac retineamus, & solum eæ communi usui assignentur, & deputentur tum, cum hinc discessimus, v. g. Libri Bibliothecæ, panni Communitati &c., quemadmodum Constitutiones ipsæ nostræ disponunt, ac præscribunt: tantum abest, ut peculium in rebus nobis diuturnum de Superiorum licentia non liceat.

SUPPOSITIO XXI.

Licentia *irrevocabilis* etiam pro non *superfluis* a Superioribus neque licite, neque valide subditis concedi potest.

Patet ex Defin. 1. & 2. Cum etenim Voti paupertatis essentia in abdicatione *proprii* consistat, *proprii* vero abdicatio in dependentia a Superioris voluntate; cumque hæc voluntas semper, ut liquet, mutari possit, evidenter conficitur si ista voluntas, seu licentia statuatur per se immutabilis, seu irrevocabilis, auferri eam dependentiam, ideoque essentiam ipsam auferri Voti paupertatis.

SUPPOSITIO XXII.

Quæcumque licentia per se semper *revocabilis* ad evitandam tum Voti, tum Regulæ labem *per se* satis est.

Nempe

Nempe five *expreſſa*, five *tacita*, five *actualis*, five *virtualis*, five *generalis*, five *ſpecialis*, five *diuturna*, five *ad tempus breve*.

Patet univerſe quo ad utrumque tum ex natura ipſius licentiæ, tum ex voluntate concedentis eamdem. Etenim quæcumque ea demum ſit, vera tamen, & genuina ſemper eſt, ut liquet: unde in Jure dicitur *taciti* præſertim, & *expreſſi* eſſe vim, & rationem eamdem: concedens vero licentiam, cum in ea concedenda liber ſit, illam quo modo ſibi libet *per ſe* concedere poteſt. Quoad Regulam autem peculiariter patet ex Pontificiis Declarationibus, in quibus nihil aliud, uti vidimus, dicitur ac præſcribitur, quam quod Fratres ad pecuniam recurrere poſſunt de Superiorum *ſcitu*, aut *aſſenſu*.

Dixi *per ſe* ſemper *revocabilis* ob doctrinam ſuppoſitionis præcedentis. Ex quo rurſus manifeſtum eſt, me ſumere nomen *conſuetudinis* pro ſolo ſimplici *uſu* ſemper *revocabili*, uti explicavi in Animadverſione Def. 18.

SUPPOSITIO XXIII.

Etiam ſola ipſa *conſuetudo*, tamen *revocabilis*, utendi peculio, & recurrendi ad pecuniam ad fugiendum tum Voti paupertatis, tum Regulæ peccatum *per ſe* ſatis eſt.

Intelligitur *conſuetudo* pro diuturno *uſu*, ut dictum eſt. Hoc autem liquet ex Defin. 18., & Suppoſ. præcedenti, nam hujuſmodi *conſuetudo* quædam *per ſe* vera licentia eſt. Additur porro *revocabilis* propter doctrinam Suppoſ. XXI.

ANI-

ANIMADVERSIO

Ad Suppos. XXII., & XXIII.

QUamquam dico, *licentiam quamcumque*, & etiam *solam consuetudinem* satis *per se* esse ad evitandam tum Voti, tum Regulæ labem, non tamen propterea contendo inducere, aut exhortari Subditos ad utendum practice peculio ex *licentia quacumque*, multo minus ex *sola consuetudine*: nam hoc identidem Superiori manifestare, ab eoque *licentias expressas* vel *actualiter*, vel *virtualiter* obtinere tanquam perfectum, & optimum, ac regularibus ordinationibus magis conforme (immo & omnino necessarium ubi a Superioribus exigatur) in praxi faciendum est; sed contendo ostendere, id ad essentiam Voti, aut Regulæ non pertinere, adeoque hanc essentiam in tuto esse, etiamsi contingat, ut peculio utaris ex *licentia quacumque*, seu etiam ex *sola consuetudine*, seu *diuturno usu*, modo utaris scientibus, vereque libere consentientibus Superioribus, salva semper in illis *revocationis* potestate. Idque a me ideo fit, ut subtilius percipiatur, & ostendatur, in quo contineatur natuta obligationis tum Voti, tum Regulæ quod *ad licentiam* spectat, & quomodo ea subsistere possit: quod a me in toto hoc opere sæpe factum Lectores agnoscent.

Jam vero id, quod in his duabus Suppos. statuimus, præter quam quod *per se*, uti diximus, clarum est, exemplo primum aliorum Regularium etiam confirmari potest. Nam ex iis complures de sola *licentia tacita*, ac *generali*, imo & ex solo *usu* penes se tum in rebus (quod etiam apud nostros fieri vidimus Suppos. XX.) tum in pecunia peculium habere solent. Quare ergo nostri etiam in pecunia, apud Syndicum tamen, habere

habere pariter non poterunt? Quod etenim ad pecuniæ usum attinet, profecto alia differentia non est; nisi quod ipsi *per se* habere possunt, nos haud possumus; quod vero ad *licentiam*, quippe ubique pari ratione requisitam, nullum discrimen est.

Deinde exemplo Voti Obedientiæ magis adhuc confirmatur. Non minus siquidem obligat Votum paupertatis, ne rerum usum, ac dispositionem independenter a Superioris voluntate habeamus; quam Votum obedientiæ, ut Superiori pareamus in iis omnibus, quæ nobis aut præcipere, aut inhibere potest. Atqui observatio hujus Voti etiam cum sola licentia *generali*, *diuturna*, *tacita* &c. consistere potest, ut liquet ex facultate egrediendi, v. g. e Conventu, aut alio pergendi quoties, & quocum libuerit, aut similium, quæ a Superioribus generaliter subditis concedi potest, & porro apud plures Regulares concedi solet, per integrum saltem eorum regimen sive longum, sive longissimum, sive etiam vitalitium duratura. Eodem prorsus pacto etiam de paupertatis Voto ratiocinari potest, cum utrumque per indissolubilem nexum ad religiosum statum essentialiter pertineat. Hoc argumentum colligitur etiam ex Baudino alias laudato in Differt. Canon. de Vita Communi pag. 43. num. 6.

Ex his porro, & aliis, quæ diximus in Animadversione Def. 18. facile dissolvuntur omnia, quæ Censor noster congerit toto cap. 22. adversus sufficientiam cujusquemodi *licentiæ*, & præcipue *consuetudinis*, a me assertam pro retentione peculii Concl. VII., & VIII. in Editione prima, quæ, inquam, congerit ex Jure Canonico de natura, vi, atque conditionibus *Consuetudinis*; quia cum hæc omnia de *Consuetudine* proprie accepta, non de puro, & simplici *usu* modo a nobis pluries explicato intelligantur, ne quidem ad rem faciunt. Quare is omnia sibi reaccipiat, atque reservet

in

in pectore opportunius expromenda, quandoquidem de *Consuetudine* sua loqui ne quidem unquam nobis venit in mentem.

SUPPOSITIO XXIV., ET ULTIMA.

UBi Superiores non provident necessaria ad Voti, Regulæ, & Ecclesiæ præscriptum, neque, ut ad sibi providendum, licentia expressa, & specialis a subditis postuletur, exigunt, sed illis provisionis curam derelinquunt, facto ipso tacitam, & generalem concedunt.

Patet per se. Cum etenim extet præceptum; imo cum etiam ex ipsius contractus natura inter Religionem, & Religiosum initi consequatur, ut & Superiores subditis necessaria provideant, & Subditi in his provideantur, legitime colligitur, Subditos jus quoddam habere ad hujusmodi provisionem; ideoque Superiorum defectu, eam sibi tum præcepto ipso, tum naturæ jure procurare posse. Quod vero Superiores expressam, ac specialem a Subditis dependentiam non exigant, cum libere, ac facile exigere possunt, insuperque integram provisionis sollicitudinem iis derelinquant, hoc manifeste ostendit, generali tantum, ac tacita contentos esse.

Cor. Hinc judicium de *necessitatibus*, vel *superfluitatibus*, quod Superioribus tum ex natura Voti, tum ex Regula, tum ex Ecclesiæ declaratione per se competit (cuique Subditus, nisi de *excessu constiterit*, stare debet ex Suppos. XIX.) Subditis ipsis in hypothesi competere perspicuum est. Nam cum hujusmodi judicium curam, atque sollicitudinem provisionis necessario, & antecedat, & commitetur; cura vero ipsa a Superioribus Subditis sine dubio committi possit, ut in Historia sæpe vidimus, sane fit, ut cum sollicitudo

pro-

provisionis ut supra committitur, judicium quoque ipsum committatur. Itaque Subditi in hypothesi sibi absque culpa providere poterunt *necessaria*, *utilia*, *commoda*, *honesta*, *moderate* tamen; & *competenter*; id est non *superflue*; quod est perinde ac dicere; sibi posse providere pro ut in praxi *videbitur* vel aliis viris doctis, ac probis, vel etiam sibi juxta veræ, & sanctæ prudentiæ regulas, ut Suppos. XX. diximus (*nisi de excessu constiterit*) *expedire*; quandoquidem omnia hæc, hacque ratione Subditis providere Superiorum proprium est.

Nunc his omnibus tandem narratis, suppositis, explicatis quæstionem universam quoad omnes partes, seu quoad tres peculiares initio propositas quæstiones, per varias Conclusiones sigillatim resolvemus. Verum ea quo facilius omni ex parte uno veluti obtutu confestim percipi ab omnibus possit, operæ pretium duxi eamdem sub forma cujusdam Casus, ut moris est, in antecessum proponere, ejusque Analysim sub oculos exhibere. Sit igitur.

C A S U S.

Titius F. Minor de Observantia commoratur in Conventu, ubi non viget, neque servatur vita perfecta communis, ne dum ad Tridentini, sed ne quidem ad Regulæ præscriptum; seu ubi a Communitate non providentur Fratres de necessariis nisi ad normam Suppos. XX. ubi nullus Fratrum pecuniam a se licite aquisitam consignare facit Syndico cum massa communis pecuniæ incorporandam, & confundendam, seu pro communibus Conventus necessitatibus insumendam: ubi Superior, ut hoc modo consignetur, non solum non præcipit, aut saltem exigit, sed nequidem id vult, aut curat; imo quandoque etiam positive non

non vult : ubi denique consequenter ab eodem Superiore omnino id sciente, libereque, & plene consentiente vel *expresse*, vel *tacite*, vel *usu ipso* integra singulis relinquitur libertas sibi per modos licitos providendi de omnibus aliis necessariis juxta formam Supposs. ejusdem. Titius vero prædictus non solum vero animo paratus est Communitatem perfectam acceptare, eique se omnino conformare, si prudenter ad normam Suppos. VI. erigatur, sed etiam pecuniam quamlibet sibi licite obvenientem etiam de præsenti incorporare pro necessitatibus communibus consumendam, nisi ex experientia aut jam certo sciret, aut probabiliter timeret; sibi postea vel nihil omnino, vel non satis in necessitatibus providendum.

Q. An Titius de prædicta Superioris licentia possit sine peccato tenere apud Syndicum *depositum* pecuniæ (v. g. ex sua Prædicatione) non *excessivum*, non *ad copiam*, *ad divitias*, *ad thesaurizationem*, sed *competens*, sed *moderatum*, minime incorporatum cum *deposito* communi, & pro communi insumendum, sed ab eo separatum, & peculiariter pro se; & ad illud non *pro vanitatibus*, *superfluitatibus*, sed pro *necessitatibus*, *utilitatibus*, *competentibus* tamen, & *moderatis*, *pro tempore occurrentibus*, quod est sive *de præsenti*, sive *de futuro*, nempe vel nunc, vel tunc cum *occurrent*, seu fient *præsentes*, de eadem licentia recurrere: seu an id liceat tam ex parte Titii subditi, quam ex parte Superioris.

Casum proposui cum his omnibus distinctis minutis circumstantiis, non quod ad quæstionis substantiam pertineat, ut his omnibus circumscriptus proponatur, ac resolvatur, sed quod ita circumscriptus re ipsa a me in hoc opere resolutus est, sicuti ex omnibus inter se collatis colligere licet; Ut appareat, præsentem me quæstionem non largius, sed potius strictius, quam

opor-

oporteat, tractasse, ac resolvisse. Nam ad quæstionis veritatem hic Casus etiam sequenti modo sufficienter generalius, ac brevius proponi potest.

Titius commorans in Cœnobio, ubi de facto non extat, nec servatur vita communis, seu ubi a Superiore non providetur de suis respective *necessitatibus*, seu *commoditatibus*, &c., consignari facit Syndico pecuniariam eleemosynam, v. g. suæ Prædicatinnis, qui Syndicus propterea signat, se talem eleemosynam a Titii prædicatione provenientem accepisse. Titius vero id Superiori manifestans, ab eo licentiam petit recurrendi ad Syndicum pro suis supradictis *necessitatibus occurrentibus pro tempore*, quod profecto idem est ac sive *de præsenti*, sive *de futuro*, seu vel nunc, vel tunc cum *occurrent*, hoc est cum fient *præsentes*, scilicet pro suis peculiaribus *necessitatibus* sive *præsentibus*, sive *futuris*.

Q. An id sit licitum tam ex parte Titii, quam ex parte Superioris.

Ista demum in substantia est vera, ac genuina Casus species, cujus affirmativa resolutio, tanquam practice licita, a me propugnata in hac Diatriba continetur.

QUÆSTIONIS STRUCTURA, ET ANALYSIS.

PRincipio igitur duæ sunt quæstiones, quæ in Casu proposito involvuntur; altera, *an liceat tenere illud peculiare Depositum*; altera, *an ad illud recurrere*. Prima capitalis, & principalis est, secunda vero accessoria, ideoque pendens a prima, & consequens ex ea. Nam quod ego in hoc opere principaliter discutiendum proposui est: *num peculiare apud Syndicum pecuniæ Depositum, pro ut in Casu, tenere liceat*; secundario vero, *an etiam ad illud recurrere*. Id quod in primis, & ante omnia retinere, & præ oculis habere opor-

oportet. Quia enim *Depositum a Recursu* non satis Adversarii distinguere, sed potius utrumque confundere, ut alias iterum diximus, videntur, idcirco & male quæstionem ipsam intelligunt, & pejus resolvunt. Utraque quæstio utpote simul connexa a me pertractata, atque affirmanter resoluta est. Quamquam etiamsi id a me de sola prima fuisset factum, tamen causa tota victa esset, quia hæc, inquam, principaliter ad resolvendum proposita est. Quoniam vero utraque quæstio tam Subditum, quam Superiorem respicit, ideo quod licitum esse probatur, de utroque probatum intelligitur.

Itaque cum peculium Fr. Min. triplici ex capite, uti initio operis diximus, interdictum esse possit, nempe ex Voto paupertatis, ex Regula, & ex Ecclesiastico præcepto, propterea quæstio generaliter accepta, ut sine confusione, & exacte resolveretur, penitusque exhauriretur, in tres peculiares quæstiones dispertita est. Unde quæsitum.

1. An peculium hujusmodi liceat habere, ac tenere ex vi Regulæ. Adverte tamen improprie dici *habere*, ac *tenere*, cum id in rigore Fr. Min. convenire non possit. Proprie igitur dici, & intelligi debet, pecuniam esse depositam in Ærario Pontificis apud Syndicum ejus Procuratorem existente, & ab hoc signatam pro Fratris necessitatibus, qui eam fecit deponi, ut in secundo Casu exponitur.

2. An liceat ex vi Voti paupertatis.

3. An ex vi Ecclesiastici præcpeti.

Ut autem singulæ hæ questiones resolverentur, multa præmissa, explicata, ac supposita sunt. Poterat equidem tota quæstio multo brevius, & expeditius resolvi; sed ut omni ex parte exhauriretur fusius, & plenius tractata est. Quare plura non ad necessitatem, sed ad doctrinæ abundantiam, & eruditionem, nec

L non-

non ad Censoris confutationem vel necessaria, vel utilia tradita sunt: inter quæ plura etiam liberaliter admissa, & concessa solum ex abundanti, uti suis locis conspicitur, ut veritas magis adhuc demonstraretur. Quæ præcipue ad 2., & 3. quæstionem scitu necessaria, vel utilia videbantur, primum ea omnia veluti historice præmissa, tum, ut doctrinæ ordo servaretur, & illa facilius retinerentur, etiam in Definitiones, ac Suppositiones quasdam conjecta sunt: quod tamen erga multa,quæ ad 1.questionem pertinebant, pariter factum est.

Itaque ex viginti tribus ecclesiasticorum monumentorum capitibus, quæ in toto Opere afferuntur, quindecim ad Regulam, & ad nostros pæculiariter spectant, reliqua octo ad Ecclesiasticum præceptum, & universe ad omnes Regulares. Porro ea quindecim dedimus non eo quod omnia necessaria reputarentur, sed ut & Syndicorum ortus, progressus, complementum, munus, potestas, verbo tota forma, ac substantia, & cætera omnia ad Regulam pertinentia, & quæstioni quomodolibet conducibilia cognoscerentur; reliqua vero octo, ut perfectæ vitæ communis idea exhiberetur: unde omnia variis etiam adnotationibus illustravimus, & communivimus. In quibus omnibus præcipue super natura, & qualitate *necessitatis*, ac *licentiæ* requisitæ ad licitum pecuniæ *Depositum*, ac *Recursum* sæpe & plenius, & etiam subtilius actum est, quia hæc duo ad quæstionis substantiam maxime spectant, ut notum est.

Ergo quoniam *Depositi* separati, seu peculiariter signati quæstio quæstionem necessario includit de *obligatione incorporationis* pro communitate, idcirco ut vera radix hujusce obligationis inveniretur, de ea juxta tres peculiares supradictas quæstiones quæsitum est; quare sequentes quæstiones formatæ sunt.

1 An incorporatio pecuniæ sit *per se* de obligatione Regulæ.

2. An

2. An de obligatione Voti paupertatis.

3 An solum de obligatione Ecclesiastici præcepti.

Ex his tribus quæstionibus secunda, & tertia per se claræ in Suppositionibus solutæ reperiuntur: 2. negative Suppos. V., & XV., 3. affirmative Suppos. VI., & ex tota Historia a N. XVI. &c. 1. quia obscurior, ac difficilior negative soluta fuse reperitur Conclusione I.

Verum quoniam quæstio principalis, prout in Casu, procedit ubi non extat perfecta vita communis, ideo etiamsi pecuniæ incorporatio admittatur de obligatione Regulæ, voti, & Ecclesiastici præcepti, tamen ut ea recta solvatur, de hujusmodi triplici obligatione in ista tantum hypothesi inquirendum est: unde quæstiones hæ ortæ sunt.

1. An incorporatio obliget ex vi Regulæ, ubi re ipsa non reperitur vita perfecta communis. Atque hac sola resoluta utpote principali, res tota confecta est.

2. An ex vi Voti.

3. An ex vi Ecclesiastici præcepti.

Ex quibus quæstionibus quælibet negative resoluta invenitur: 1. Concl. III., 2. Concl. IV., 3. Suppos. VII., & Concl. V.

Pergamus. Quia *Depositum*, ac *Recursus* sine Superioris licentia, seu assensu haberi non potest, hæc vero licentia multiplex assignatur, ut ex Defin. liquet, ideo de hujus necessitate, vel sufficientia quæsitum est; ex quo sequentes quæstiones exortæ sunt.

1. An ad habendum peculium, ubi non est vita communis, sufficiat *per se* licentia etiam *tacita* ex vi Regulæ.

2. An etiam licentia *generalis*.

3. An etiam *consuetudo*, seu *usus* semper *revocabilis*.

4. An hæc triplex licentia sufficiat etiam ex vi Voti.

Hæ autem quatuor quæstiones, quippe quæ rite in-

 telle-

tellectæ difficultatæ carent, quod etiam fere omnium Regularium praxi confirmatur, in Supposf. XXI., XXII., & Concl. VIII., & IX. affirmative resolutæ sunt.

Tandem quoniam pecuniæ separatæ *Depositum*, & ad hoc *Recursus*, si habeatur, non nisi pro necessitatibus haberi potest; *necessitas* vero vel *arcta*, & *stricta*, vel *accommoda* esse potest; idcirco super hujus natura, ac obligatione, in qua quæstionis substantia maxime continetur, specialiter, inquisitum est; unde hæ quæstiones primum natæ sunt.

1. Quænam debeat esse *necessitas* ad habendum *Depositum* peculii, & ad illud recurrendum ex vi Regulæ.

2. Quænam ex vi Voti paupertatis.

3. Quænam ex vi Ecclesiasticæ Ordinationis.

Hæ autem tres quæstiones Suppos. XVIII. ex Monumentis totius historiæ certo solutæ sunt; nempe solutum, *necessitatem* ex triplici hoc capite (exceptis excipiendis in Regula expressis) non debere esse *strictam*, ac *rigorosam*, sed *honestam*, *competentem*, *moderatam*, *commodam*. Quamquam esse debere etiam *strictam* a me ex abundanti datum est.

Quia vero, quod præsertim ad Regulam spectat, *Recursus* ad pecuniam multis conditionibus, modificationibus, arctationibus per Nicol. III., & Clem. V. circumscriptus est; præcipue ne recursus fiat nisi pro necessitatibus *præteritis*, *præsentibus*, vel *imminentibus* &c., idcirco de his arctationibus, in quibus pariter cardo quæstionis ipse continetur, specialiter quoque quæsitum est: Unde præterea sequentes quæstiones institutæ sunt.

1. An omnes hæ arctationes adhuc in vigore perseverent, an sublatæ sint.

2. An etiamsi perseverent, ad præcepti tamen substantiam pertineant.

3. An graviter obligent.

4. An

4. An ad naturam ipsius *necessitatis* spectent.

5. An quatenus etiam ad præcepti, vel necessitatis naturam pertineant, quomodo, & quantum loci in praxi habere possint.

Hæ autem omnes quæstiones Concl. II. solutæ sunt: nempe resolutum 1. quoad pecuniæ *Depositum* eas omnes arctationes procul dubio sublatas esse; 2. etiam quoad *Recursum*; 3. vel ad substantiam præcepti, aut necessitatis non pertinere; 4. vel non esse sub gravi obligatione; 5. vel practice necessitatibus ordinarie conjunctas esse; hoc est, necessitates, pro quibus *recursus* fieri potest, practice esse vel *præsentes*, vel *imminentes* modo in casibus explicato.

Quapropter cum in Bullis Mart. IV. & V., & Pauli IV., & Pij V. nihil aliud expresse dicatur, & ordinetur, quam quod omnis pecunia Syndico consignari debeat pro *necessitatibus* Fratrum *occurrentibus*, *pro tempore*; cumque Adversarii concedere debeant, *necessitates* hujusmodi non esse *strictas*, sed *accomodas*, ego vero etiamsi concedam fore *strictas*, affirmem tamen in praxi fore ordinarie *præsentes*, vel *imminentes* &c. inspiciendum est, num in illis verbis *occurrentibus*, *pro tempore* simul cum ea injunctione, ut pecunia quæcumque Syndico consignetur, arctatio præsertim de necessitatis *præsentia*, vel *imminentia* essentialiter contineatur, seu num *necessitates occurrentes*, & *pro tempore præsentes*, vel *imminentes per se* dicendæ sint: nam inter nos convenit, ubi non est vita communis, *pro præsentibus* vel *imminentibus necessitatibus* depositum pecuniæ apud Syndicum teneri, & ad illud recursum fieri posse; quare postremo hæc quæstio exorta est.

An necessitates pro ut in Casibus *occurrentes*, & *pro tempore* existant *per se*, & dicendæ sint *præsentes*, vel *imminentes*.

Hæc autem quæstio eadem Concl. II. resoluta affir-

..ive est: nempe resolutum, eas antequam *occurrant*, ... quidem *per se* futuras, si vero *occurraut*, & cum ...*rrunt*, esse *prasentes*, & quia identidem *occurrunt*, vel *occurrere* possunt, hoc modo saltem *imminentes* esse. In qua re sic explicata, & accepta liquet nullum dubium esse posse.

Ex his omnibus analytice evolutis quinque legitime colliguntur 1. in quo tandem consistat filum contentionis 2. hanc quæstionem, vel esse denique de pura voce, vel in ea omnes convenire. 3. me in hoc Opere non nisi vera, & communia dixisse. 4. quæstionem in affirmantem partem certo solvisse, ideoque Adversarios causa cecidisse. Nam cum quæstio principalis a me proposita, ac propugnata, sit an præsertim ex vi Regulæ *liceat F. Min. peculiariter tenere apud Syndicum pecuniæ Depositum pro necessitatibus occurrentibus, seu per se futuris* &c.; minus vero principalis: *an liceat, & quomodo ad illud recurrere*; tota disputatio supra *Depositum* principaliter cadit; quare hoc solo *Deposito* licito demonstrato, tametsi *Recursus* ad illud demonstratus non foret, tamen lis a me diremta esset. Sed utrumque, nisi me fallit animus, Demonstratum est. 5. denique, ex hoc solo totum Censoris Libellum vel ad rem non esse, vel omnino evanescere, & in fumum abire.

Nunc sinubus per hæc quæstionis introspectis, ac faciliori ipsius aditu reserato, ad ejus resolutionem per varias Conclusiones procedemus.

CONCLUSIO I.

Pecuniæ incorporatio *per se*, & *necessario* de Regulæ forma, atque institutione non est.

Attende bene Lector ad ea, quæ in hac, & sequenti Conclusione dicturus sum, ne male intelligendo hallucineris, ideoque cavilleris. Sensus, igitur Conclusionis est, quod

est, quod, ubi pecuniam, ad quam fit recursus, deponere, ac retinere apud aliquem contingat, pecunia Fratris singularis, seu pro singulari deposita, cum pecunia communi, seu pro communi deposita incorporetur sive *materialiter*, sive *formaliter*, seu *moraliter*, hoc est ut in commune commodum conferatur, id, non dico contra, aut præter Regulæ institutionem est, sed *per se*, & *necessario* de Regulæ institutione, ac forma non est.

Antequam Conclusio probetur jam tria præsupponenda sunt.

1. Superiorem licentiam Subditis concedere posse, ut ad pecuniam per Spirituales Amicos recurrant.

2. Posse concedere, ut recurrant vel pro tota Communitate, vel pro aliquibus tantum, vel etiam pro se solis tantum.

3. Conclusionem habere locum duntaxat in 2., & præcipue in 3. recurrendi casu. Nam constat, dum, recurrendo pro communitate, pecunia deponitur, & retinetur, illam censeri *moraliter* saltem incorporatam. Itaque intelligitur Conclusio in 2., & 3. casu, in quibus quæstio continetur.

Nunc Conclusio sic intellecta, simul cum duobus ejus Corollariis infra afferendis, adeo evidenter probata manet ex sola Declaratione Clem. VII., ut nihil aliud addere necesse sit. Nam ab hoc Pontifice fere *in terminis* tradita, atque determinata est; uti ostendimus in Historia N. VII. adnot. 3., seu n. 3. pag. 44. Relege omnia, & acute considera, & ita esse iterum cognosces. Tamen ratione ex ipsiusmet rei visceribus, seu ex Regulæ nostræ natura, ac institutione petita plenius probanda, seu potius illustranda est.

Prob. Juxta Regulæ formam, ac institutionem pecuniæ *depositio*, ac *retentio* non nisi per Amicos, & apud Amicos spirituales haberi potest, ut ex ejus tenore liquet.

Atqui apud Amicos hujusmodi isthæc incorporatio pecuniæ *per se* & *necessario* haberi nequit. Hæc igitur incorporatio *per se* & *necessario* de Regulæ forma, & institutione non est. Ut minoris veritas, in qua syllogismi totius robur continetur, sole clarior appareat, exemplo tantum opus est: pro quo fingamus, Syndicos nunquam fuisse institutos, aut Ordinem nunquam iis usum, imo nunc quoque non uti. Ex historia enim profecto constat, ab Ordinis initio ad usque Innocen. IV., Syndicos omnino haud extitisse, postea non nisi a tempore Mart. V. universaliter fuisse stabilitos, ac usu receptos; ita ut per ducentos & quadraginta circiter annos in Ordine non extasse fere affirmari possit. Constat pariter etiam nunc nos posse libere iis uti, vel non uti, imo Congregationes strictiores nostras, aut Conventus quosdam nostros de facto non uti. Ne sint igitur Syndici Apostolici in rerum natura, sed sint tantum vagi, & indeterminati Amici Spirituales.

Nunc sint ex. gr. Cajus, & Titius divites Amici duo hujuscemodi; item Sempronius, & Mævius, qui Substituti vicem pro iis facere possint. Sitque necessitas pro tota Communitate permanens, & diuturna v. g. pro quotidiano pane, aut Vino, quæ in specie haberi non possunt: sit itidem alia consimilis necessitas pro peculiari Fratre imbecillis valetudinis ex gr. pro carne vitulina, pro generoso vino &c. Accedat Guardianus ad Cajum, eum rogans, ut per pecuniam communi prædictæ necessitati provideat; Cajus vero in manibus Sempronii a se substituti deponat v. g. quinquaginta Scuta, ut iis panis, vinum &c. ex causa per mensem emi possit. Accedat pariter de licentia Guardiani etiam Frater prædictus ad Titium alterum Amicum spiritualem, eumque precetur, ut per pecuniam velit providere necessitati peculiari suæ. Titius autem in manibus Mævii a se pariter Substituti deponat ex.

gr. scu-

gr. ſcuta ſex pro illo tantum Fratre ad hoc, ut exinde de vitulo, & generoſo vino per duos menſes ex. c. provideri poſſit. Rogo, Pecunia iſtius peculiaris Fratris, hoc eſt pecunia pro ejus neceſſitate depoſita, cum ea pecunia Communitatis, ſeu pro totius Communitatis neceſſitate depoſita, incorporata ne ſive *materialiter*, ſive *formaliter*, ſeu *moraliter* eſt? quis ita putet? nam hi ſpirituales Amici, eorumque ſubſtituti & incogniti inter ſe eſſe poſſunt, & longe inter ſeſe diſtare, & hujuſmodi neceſſitates viciſſim ne quidem ſcire.

Amplius, & ad rem propius. Titius deponat ea ſex ſcuta apud eumdem Sempronium Caii, & ſui etiam modo ſubſtitutum. Quamquam in manibus ejuſdem Sempronii eſt depoſita & pro Communitate tota, & pro peculiari Fratre pecunia; hæc tamen peculiaris cum ea communi ullo ne modo incorporata eſt? minime ſane.

Amplius denique, & omnino ad caſum. Recurrat etiam Frater prædictus ad eumdem Cajum ad quem acceſſit etiam Guardianus; & Cajus etiam pro illo Fratre ſpecialiter ea ſex ſcuta apud eumdem Sempronium ſui Subſtitutum deponat. Etſi hic & Amicus principalis ſit idem nempe Cajus, & Amicus ſubſtitutus ſit pariter idem, nimirum Sempronius, attamen pecuniam depoſitam pro ſingulari Fratre non eſſe incorporatam *formaliter* (nam quod *materialiter* commiſceri poſſit, nihil refert) cum pecunia depoſita pro Communitate, ſeu pro Communitate tota non eſſe expendendam, exploratum eſt.

Quod autem de uno peculiari Fratre hoc exemplo oſtenditur, de pluribus oſtendi poteſt: quo caſu, non unius, ſed plurium pecuniæ forent depoſitæ, & diu retentæ peculiariter, & ſeparatim, hoc eſt excorporatæ *formaliter* a pecunia Communitatis. Atqui hi omnes *recurſus*, *depoſitionis*, & *retentionis* circa pecuniam caſus proculdubio ſecundum Regulam abſque labe fieri

poſſunt,

possunt, ac liciti sunt. Sequitur igitur evidentissime, pecuniæ incorporationem modo explicato *per se*, & *necessario* de Regulæ forma, atque institutione non esse. Revertentes nunc ad Syndicos jam institutos, & extantes, colligamus ita.

Cor. 1. Hinc pecuniæ incorporatio apud Syndicum *per se*, & *necessario* (nota bene) de Regulæ institutione non est, ideoque apud illum *ex vi Regulæ* deponi, ac teneri diu potest pecunia sive incorporata, sive excorporata sine peccato. Nam Syndicus qua talis non est nisi unus ex Amicis substitutis spiritualibus secundum Regulam, prout in tertio casu exemplificatur. Etenim Pontifex est ille ipse Cajus dives, qui omnis pecuniæ dominio abdicatæ possessionem, ac proprietatem habet; Syndicus vero est ille ipse Sempronius Papæ substitutus, qui omnem pecuniam hujusmodi sive a Superioribus, sive a Subditis, sive pro Communitate, sive pro singulis procuratam tenet, ac dispensat ejus nomine, ac voluntate, sicut facit Sempronius respectu Caii, & sicut faceret etiam Syndicus ipse respectu ejusdem Caii, si Cajus apud illum, tanquam sui Substitutum, & non apud Sempronium pecuniam deposuisset. Neque quoad pecuniæ *depositionem*, ac *retentionem* inter Papam, & Syndicum, ac eos Amicos spirituales aliud intercedit discrimen, nisi quod hi sunt peculiares, vagi, & indeterminati; ii vero determinati, fixi, & generales, ut Defin. VII. explicavimus: quod discrimen nihil *ex vi Regulæ* (nota bene) facit ad hoc, ut pecunia debeat esse vel incorporata, vel excorporata, ut liquet.

Cor. 2. Hinc Syndicorum institutio a Pontificibus ob istam pecuniæ incorporationem *per se*, & *necessario* facta non est. (nota hoc attentius) Cum enim Syndici qua tales sint iidem Amici spirituales, qui sunt secundum Regulam, eosque qua tales Pontifices declarave-

raverint a se institutos, evidenter conficitur, si pecuniæ incorporatio apud privatos Amicos spirituales secundum Regulam *per se*, & *necessario* non est, neque secundum Pontificiam institutionem esse. Nam Pontifex Syndicos instituendo, eosque juxta Regulam Amicos declarando, vel aliquid de Regulæ forma super hoc immutavit, vel non immutavit. Si non immutavit; si igitur ea incorporatio apud privatos Amicos de Regula *per se* non est, neque apud Syndicum erit. Si vero immutavit: ergo primum, falso declaravit, Syndicos amicos spirituales juxta Regulam esse: deinde ergo hæc immutatio de Regulæ forma *per se* non est, quandoquidem in aliquo hæc forma mutata est; proindeque incorporatio nec de Regulæ, nec de Syndicorum institutione *per se* est. Ex hoc enim ad summum consequeretur, eam de Pontificia speciali pro Fr. Min. ordinatione esse, sicuti pro Regularibus omnibus a Tridentino ordinatum est.

Atque inde est, quod in Syndicorum Bullis, in quibus omnia motiva, propter quæ sunt instituti, recensentur, nulla tamen ordinatio, vel mentio expresse reperitur de hac pecuniæ incorporatione, quia hæc ad Syndicos tanquam ad Amicos Spirituales secundum Regulam non pertinet.

At inquis. Licet id *expresse* non dicatur, dicitur tamen *implicite*, & *æquivalenter*, quia ex modo loquendi abunde significatur. Nam Pontifices *de Fratribus*; *de consignatione pecuniæ*; *de recursu*; *de necessitatibus*: non in speciali, sed in generali loquuntur, ideoque de tota, & pro tota Communitate, non de singulis, aut pro singulis intelligendi sunt; ut patet præcipue ex iis verbis: *pro victu*, *vestitu*, *ac reparatione Conventuum*, *&* *aliarum rerum*, *locorum*, *Fratrum* &c. Quapropter cum dicitur, Syndicos debere impendere pecuniam *sicut*, *&* *quando* vel a Superioribus, vel a Sub-

Subditis *de eorumdem scitu*, vel *assensu extiterint requisiti:* per hæc verba non significatur, quod Fratres peculiares possint consignare Syndico pecunias tenendas separatim pro se, & ad eas recurrere, sed quod ad consignatas in communi, & pro communi, possint loco ipsorum Superiorum, cum ab his sibi permittitur, recurrere, ut ex communi pecuniæ massa in suis necessitatibus provideantur. Hoc sensu, & non aliter, intelligendæ sunt Syndicorum Bullæ. Unde cum Pontifex, utpote Amicus Spiritualis principalis nolit nos uti Syndico Substituto suo, nisi hoc modo explicato, profecto alio modo juxta Regulam uti non possumus.

Accedit quod *purius* Regula observatur per Syndicum, quam per indeterminatos Amicos Spirituales, ut Pontifices ipsi declararunt: quod non fieret, si apud illum teneri posset pecunia excorporata, cum constet apud istos ita teneri posse.

Verum primum non perspicis, te ita opponendo nobis illud ipsissimum re vera concedere quod contendimus: nam concedis, peculiares Fratres, de Superiorum licentia recurrere posse ad Syndicum, ut ex communi massa, quacum eorum pecunia supponitur deposita, provideantur. Hoc autem ita intellectum, ut ipsi semper provideantur in omnibus suis necessitatibus *occurrentibus*, cum *occurrent*, nempe vel *præsentibus*, vel cum fient *præsentes*, quod est in necessitatibus *futuris*, habemus omnino intentum, neque nos aliud intelligimus. Posuimus etenim sæpe, nihil referre, utrum pecunia *signata* pro necessitatibus peculiaris Fratris sit, vel non sit *materialiter* incorporata, modo sit excorporata *formaliter*; hoc est, ut sit destinata ita, ut inserviat pro suis omnibus peculiaribus *occurrentibus* necessitatibus modo explicato.

Præterea concedo, quod Syndicorum Bullæ, etiam quod spectat ad Regulæ, & Syndicorum ipsorum institu-

stitu-

ſtitutionem, poſſint intelligi (nota attentiſſime) & quidem, ſi cupis, etiam *principalius* modo generali a te propoſito, ac explicato, ſed inficior, ita *per ſe*, *& neceſſario* debere intelligi, quin etiam peculiari modo intelligi poſſint, ut evidenter probavi. Quare in forma, ut ajunt Scholaſtici, argumentum diſtingui poteſt. Bullæ intelligendæ ſunt *generaliter* diſtinguo *tantum* nego : etiam, & *principalius*, ſubdiſtinguo *per ſe*, *neceſſario*, & *ſemper* nego : non *per ſe*, neque *neceſſario* concedo. Hujus diſtinctionis veritas jam evidenter in Concluſione, ejuſque Corollariis probata eſt. Cui accedit, quod Clem. VII., ut ſuo loco vidimus, ad evitandum Regulæ reatum, tantum requirit Superiorum *ſcitum* : quod argumento eſt, quod pecunia apud Syndicum ſit vel incorporata, vel excorporata, neque de Regulæ, neque de Pontificia Syndicorum inſtitutione *per ſe* eſſe. Quomodo etenim poteſt habere locum Superiorum *ſcitus*, ut teneatur pecunia incorporata? nonne hoc Subditum nihil juvat? nonne ad rem nihil facit? nonne omnino ſupervacaneum eſt? nam ſi pecunia tradatur incorporanda, nihil aliud requiritur, nihil aliud neceſſarium eſt. Deinde qui debeo neceſſario pecuniam apud Syndicum incorporare, pro Communitate impendendam, ſi abſolute poſſum, ſi malo, eo non uti, ſed uti privatis Amicis Spiritualibus de Superioris licentia, apud quos ex manifeſto Concluſionis exemplo conſtat, me habere poſſe pecuniam excorporatam diu permanentem, ad eamque pro ſolis meis neceſſitatibus recurrere? Si igitur incommodum mihi eſſe videro pecuniam *in communi*, & *pro communi* conſignando, eo quia experior, me non ſatis provideri in omnibus neceſſitatibus meis, nihil de pecunia aut ſponte oblata, aut rogata, aut ex meo laboritio procurabo, ſed vel neceſſaria in ſpecie pro me accipiam, vel Amicis Spiritualibus tantummodo utar,

cum

cum id quoque, inquam, si volo, efficere licite possim.

Ad illud, quod additur de puriori Regulæ observatione, ratio, quæ assumitur, falsa est. Non est enim ratio ista, quod apud Syndicum teneri debeat pecunia incorporata, quæ apud privatos Amicos Spirituales non hoc modo tenetur. Siquidem cur *purius* per Syndicum Regula observetur, ex Bullis Mart. IV., & Clem. VII. affatim apparet, in quibus omnia motiva recensentur, ob quæ Syndici sunt instituti, inter quæ etiam motivum oppositum *expresse* desideratur. Hæc omnia recole Defin. VI. Quare in forma eadem Superiori distinctione uti licet. *Purius* Regula observatur distinguo, *ex ea ratione tantum* nego; *etiam* subdistingo *per se*, & *necessario* nego; non *per se*, neque *necessario* concedo. Semper *purius* observatur per Syndicum, quam per vagos Amicos Spirituales, sive pecunia teneatur incorporata, sive excorporata, & in speciali tantum ob motiva commemorata ut supra.

Cum itaque incorporatio de Regulæ forma, & institutione *per se* non sit, neque apud Syndicum talis esse potest, ideoque ille ob id non est *per se* a Pontificibus institutus. Quocirca sicut ille Amicus Spiritualis, nempe Cajus velle potest, ut sex Scuta deposita in manibus Sempronii pro peculiari Fratre sint vel incorporata cum quinquaginta Scutis depositis pro Communitate, vel excorporata ab illis, modo ille Frater ut supra provideatur, cum præsumatur Cajus velle, quod commodius is provideatur; ita velle potest, atque præsumitur jam velle, & esse contentus Pontifex, ut apud suum Syndicum teneatur pecunia de Superioris *assensu*, vel incorporata, vel excorporata prout ad sublevandas Fratrum necessitates sive in communi, sive in speciali fuerit aut necessarium, aut opportunius, ac utilius judicatum.

Porro

Porro ex hac Concl. I. ſtatim etiam evidenter conſequitur, *incorporationem* neque de eſſentia Voti paupertatis pro Minoribus eſſe: nam Regula, & Votum per ipſam pro eis modificatum, ac reſtrictum idem ſunt, ut patet, & alias diximus.

Cæterum his non obſtantibus do liberaliter omnia, ſi vis, nempe do, & præceptum de hac incorporatione Pontificium in Syndicorum Bullis contineri, & hujuſmodi præceptum etiam de inſtitutione Regulæ eſſe. Nam etiam his omnibus datis, nihil tamen exinde poſſe confici adverſus principem aſſertionem meam ſuo loco apparebit.

Interim ex hac Concl. prima iterum corruit evidenter totum id, quod oppoſitor aſtruit per totum caput octavum de differentia aliorum Regularium a Fratribus Min. quoad conceſſionem, ſeu permiſſionem peculii, de quo diximus Suppoſ. XVI. Nam licet non eſſet falſum, ſicuti ibidem demonſtravimus, tamen ex hac Concl. manifeſte apparet, neque nobis obſiſtere, neque pro nobis ad rem eſſe; nam apparet, Subditos de *directiva* tantum, & *precaria* facultate ſibi a Superioribus communicata poſſe, quo modo & iſti recurrunt, ad Amicos Spirituales pro pecunia recurrere, hancque etiam diu depoſitam retinere a communi pecunia ſeparatam, quod eſt hoc pacto peculium habere.

Item corruunt pariter ea omnia, quæ ab illo afferuntur cap. 10. 12. 13. Etenim cap. 10. ut probet non poſſe ſecundum Regulam teneri pecuniam excorporatam, utitur verbis Regulæ cap. 6. *De mercede vero laboris pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant*; & vim facit in ea particula conjunctiva *&*, nempe ait, non *pro ſe*, ſed *pro ſe, & ſuis Fratribus*, quam, addit, me non vidiſſe, (rem profecto viſu difficilem?) ideoque hortatur, ut melius legam ad hoc ut inveniam.

Cap.

Cap. vero 12., & 13. idem confirmans rationibus, sequentes in medium affert: quod omnes Fratres non essent æqualiter pauperes: quod non esset ulla differentia inter nos, & alios Regulares: quod neque Superior, neque Subditus, neque Syndicus jus, aut facultatem habere potest efficiendi, ut pecunia teneatur excorporata, cum Pontifices, (& intelligit sive loquentes de Syndicis, sive universe de omnibus Regularibus, quia hi ab illo simul confunduntur, uti alibi admonuimus) velint incorporatam, & pro communi.

Quid censes Lector de his argumentis? videntur ne tibi satis magna, & valde solutu difficilia, imo ad rem ipsam?

Primo enim quænam est conventio inter corporis necessaria, de quibus ibi loquitur Regula, & pecuniæ incorporationem, quæ ex Regulæ institutione in rerum natura non fuit, non est, & potest non esse, si Syndicis non utamur, uti probavimus? Tum nonne dicit Regula *pro se*, *&* *pro suis*, nempe *aliis*, hoc est primo *pro se*, deinde *pro aliis*? primo igitur fac ut omnes, & singuli de sui mercede laboris conferant necessaria in commune; insuper ut ego providear in omnibus necessitatibus meis, quæ duo jam supponuntur, ubi non viget vita perfecta communis, desiderari, & tunc ego quoque *pro me*, *&* *pro aliis* conferam in commune necessaria de mercede laboris mei. An ne ego solus ex præcepto expoliari debeo, ut alii vestiantur? Adversarius non vidit eam conjunctionem *&* positam post eas voces *pro se*. Hortor ut iterum legat ad hoc ut inveniat, nempe inveniat, necessariorum provisionem primo faciendam *pro se*, deinde si quid superfit, *pro* aliis.

Jam vero ratio, quæ primo loco affertur, profecto lepida est; quasi quod æqualitas paupertatis inter ejusdem

dem Ordinis Regulares ex uſu rerum, non ex voto, & ex propria profeſſione deſumenda ſit. Rogo enim, mi bone; in diſtribuendis neceſſitatibus nonne ratio omnium circumſtantiarum, perſonæ, temporis, loci &c. habenda eſt, uti Pontifices ipſi ubique præſcribunt? Quoniam igitur Fratres ex. c. ſenes, & imbecilliores pluribus quoad uſum indigent, quam juvenes, & fortes, ſenibus, & infirmioribus, plura quam juvenibus, & robuſtis procul dubio ſubminiſtranda ſunt. Senies igitur, & imbecilles, quia *inæqualiter* proviſi, non erunt *æqualiter pauperes*, ac juvenes, & fortes?

Illud autem, quod de differentia inter nos, & alios Regulares in ſecunda ratione aſſumitur, & falſum, & æquivocum, & extra rem eſſe jam alibi oſtendimus, ubi docuimus, in quibus nos diſpares, in quibus omnino pares cæteris Regularibus ſimus.

Poſtremo, ad tertiam rationem quod pertinet, quod ea pecuniæ excorporatio ſit in hypotheſi licita non oritur ex aliquo peculiari jure, quod habeat vel Superior, vel Subditus, vel Syndicus illam efficiendi licitam, ſed oritur ex ipſa natura rei, ſeu ex generali naturali jure, quod habent Fratres, ut uno, aut alio modo provideantur in neceſſitatibus ſuis: quo fit, ut licite provideantur ſaltem ex peculio, ubi non providentur a Communitate, & ut hoc fiat, licentiam, ſeu permiſſionem Superiores concedere poſſint: quam & requiri, & his competere, Pontifices ipſi ſæpe declararunt.

Ejuſdem furfuris ſunt quæ ad idem probandum ab Oppoſitore congeruntur cap. *6.* *7.*, & *9.* Præter enim continuam idearum, & rerum confuſionem in his, aliiſque locis, uti alias præmonuimus, exiſtentem, præcipue cap. *9.* affert quatuor Capitulorum Generalium Statuta (nam id etiam ex his probat) nempe Salmantic. 1553. a Julio III. approbati: Valliſolet.

 1593.,

1593., alterius Salmantic. 1618. Sambuc. 1663. In his enim omnibus ordinatur, ut pecunia Syndico consignetur pro communibus necessitatibus expendenda. Sed ex his quatuor Capitulis secundum, tertium, & quartum Tridentino posteriora sunt, primum medio ipsius Concilii tempore celebratum est; proindeque omnia, sed procul dubio illa tria ad præceptum de Communitate a Tridentino impositum respiciunt (nam & hoc Concilium expresse nominant ei se conformando), & ideo, ubi vita Communis de facto extat, vim habitura sunt. Quid hoc cum Regulæ forma, ac institutione?

Tu ipse Lector hæc omnia, sis, in Censoris Libello vide, attente considera, & cum doctrinis meis diligenter confer; nam piget in his confusis, levibus, & ad rem impertinentibus tempus magis abligurire.

C O N C L U S I O II.

PEr Syndicorum institutionem omnes conditiones, modificationes, seu arctationes circa præceptum de recursu ad pecuniam a Nicolao III., & Clemente V. præscriptæ dispensatæ, seu sublatæ sunt.

Iterum rogo: attende Lector diligenter ad id, quod dico, ne male intelligendo decipiaris, & cavilleris.

Sensus igitur Conclusionis est, Mart. IV., & V., Paulum IV., & Pium IV., & Innoc. XI. instituendo, & approbando Syndicos, atque circa ipsos disponendo, & ordinando pro ut in eorum Bullis, eo ipso dispensasse, seu sustulisse, tam quoad pecuniæ *Depositum* (nota bene in primis hanc distinctionem) quam quoad *Recursum* ad eamdem, omnes conditiones, limitationes, modificationes, quibus præceptum Regulæ circa pecuniam, præter ejus substantiam, arctatur per Clementem, & Nicolaum: verbo hoc

præ-

præceptum ad solam observationis substantiam reduxisse.

Hæc Conclusio una ex principalioribus est, ideoque fusius, & accuratius pertractanda. Antequam vero probetur plura jam alibi sparsim tradita repetenda, & præsupponenda sunt.

1. Omnes illas modificationes, seu conditiones non habere locum relate ad Syndicos pro ut nunc sunt, sed tantum comparate ad illos pro ut erant instituendi, tunc a Nicolao, sicut patet in Historia N. IV. adnot. *6.* & principaliter relate ad privatos, & indeterminatos Amicos Spirituales, de quibus loquitur præsertim in sua Decretali.

2. Hanc Decretalem non intelligi de pecunia qualicumque, v. g. etiam ex Missis, Prædicatione, vel corporali labore &c., sed solum de oblata, vel rogata, vel parta ex venditis rebus relictis Testamento, vel alienatis mobilibus inutilibus &c., ut ex eadem adnot. *6.* liquet.

3. Omnem omnino pecuniam cujuscumque generis, seu quomodolibet provenientem, cujus dominium non extat *expresse* reservatum, transferri in dominium, & proprietatem Pontificis, ideoque totum ejus Procuratori, seu Syndico deberi.

4. Pecuniam præsertim ex mercede, vel stipendio &c. (quomodocunque vocetur) laboris sive spiritualis, sive corporalis, ut ex Missis, Prædicatione &c. provenientem, licet ex parte nostra titulo, & per modum puræ eleemosynæ duntaxat recipiatur, & recipi possit, tamen ex parte dantium, operè a nobis præstito, jure naturali, ac civili deberi, ideoque dominio abdicatam, jure transferri in dominium Pontificis.

5. Aliud esse pecuniæ *Depositum*, aliud *Recursum* ad ipsum; & aliquando *depositum*, aliquando *recursum* prius haberi.

ſive pro tota Communitate, ſive pro peculiari Fratre fieret; & velle probare, quod in eo faciendo nulla earum conditionum locum habere poteſt.

Itaque ut minor quoad primam partem, quæ eſt, quod pecunia apud Syndicum non ſolum deponi poſſit, ſed etiam debeat, nullo habito reſpectu ad illas arctationes, evidenter appareat, nihil alio opus eſt, quam ſingulas hoc loco iterum afferre, ne Lector alibi quærat, atque cum primo capite, quod in Syndicorum inſtitutione diſpoſitum eſt, comparare.

Conditiones iſtæ tum ex parte *neceſſitatis*, tum ex parte *recurſus*, quæ hic locum habent, decem ſunt; nam aliæ quatuor ex quatuordecim, quas enumeravimus pag. 20. num. 4. pertinentes ad *Recurrentes* ad rem non faciunt, cum ſpectent ad præcepti ſubſtantiam.

Quod ſit vera. Jam alibi diximus, nempe Def. 8., & hoc jam ſemper intelligi, & neceſſitatem *occurrentem*, *pro tempore* jam per ſe ſemper *veram* eſſe.

Quod ſit determinata.

Quod ſit propria, nempe ipſorum Fratrum, uti ibidem explicavimus. Etiam hoc jam intelligitur.

Quod ſit vel *præterita*, vel *præſens*, vel *futura imminens* &c., non ſimpliciter *futura*.

Quod neceſſitati provideri nequeat per commodum rei quæſtum, vel alio modo in propria ſpecie.

Quod non extet alia pecunia in manu Amici Spiritualis, ſeu apud ipſum non ſint aliæ eleemoſynæ indifferentes.

Quod non permittatur deponi apud Amicum plus pecuniæ, quam res neceſſaria veroſimiliter exiſtimetur valitura.

Quod ſi Amicus concedat pecuniam pro quadam neceſſitate determinata, & ea procurata, reſtet aliquid pecuniæ in ejus manu, ac Fratres erogari cupiant in

 alias

alias necessitates, rogetur, ut consentiat ipse concedens, quod illud residuum convertatur in alias, alioqui eo id minime concedente, pecuniæ residuum illi restituatur.

Quod si fieri possit, Substitutus non sit nominatus a Fratribus; & quod si sit ab illis facienda aliquorum, vel alicujus substitutio, habeatur assensus Dantis super omnibus subrogationibus.

Quod si pecunia debeat per diversas manus, seu personas transire, fiat a Fratribus Danti protestatio, vel ejus Nuntio, si præsto est, quod totum id semper suo nutu; atque auctoritate procedet.

Quod si pecunia procurata statim non debeat expendi vel propter tractum temporis, vel distantiam loci, quæ obstent necessitati providendæ, ideoque diu remanere debeat in manibus Substituti, teneantur Fratres tam Danti, quam Depositario manifestare, quod ea pecunia non est deposita nomine Fratrum, sed nomine Dantis ipsius, quodque propterea apud ipsum semper remanet pecuniæ dominium, ac proprietas, cum libera facultate eam ad se revocandi, quousque conversa non extiterit in prædictam necessitatem.

Quod saltem generaliter exponant Fratres ei personæ, ad quam pro pecunia recurrunt, proprias necessitates.

Quod pecunia deposita a Dante pro determinata quadam necessitate non expendatur, hujus loco, pro alia necessitate sine expresso illius consensu, vel saltem probabiliter præsumpto, quando expressus haberi non possit.

Hæ sunt omnes *conditiones*, seu *modalitates* circa *necessitates*, & *recursum* ad pecuniam pro ipsis, præscriptæ tam pro Fratribus singulis, quam pro tota Communitate.

Nunc quod istarum nulla consistere possit cum eo, quod

quod primo loco in Syndicorum institutione, nempe quod pecunia *quæcumque* generaliter, & indifferenter apud Syndicum deponi debeat, adeo exploratum est, ut exploratius nihil esse possit. Nam ut omittamus 1., & 3., nempe quod sit *vera*; & *propria Fratris*, (quæ jam, uti diximus, supponuntur, & ita esse intelliguntur, cum *occurrens* necessitas jam semper *vera* sit modo explicato:) reliquæ omnes non de Syndicis, sed de vagis, & indeterminatis Amicis Spiritualibus sive principalibus, sive substitutis primum traditæ sunt, de quibus solis, & relate ad quos solos Nicol., & Clem. loquuntur, ut liquet ex eorum Decretalibus, & verbis ipsis *conditionum*, seu *arctationum*, quas retulimus. Tum de *Recursu* pro pecunia ad eosdem Amicos antecedente *Depositum* apud Substitutos, non de *Deposito* antecedente *Recursnm* intelliguntur, de quo nos loquimur. Præterea consequenter intelliguntur de sola pecunia *rogata* per *recursum*, non etiam *sponte oblata*, & de alia *quacumque*. Demum intelliguntur de pecunia sola, cujus dominium remanet semper apud Amicum Dantem, quousque in rem necessariam convertatur, non de pecunia *qualibet* dominio abdicata, de qua nos loquimur. Sed ut magis hoc explicetur, exemplo utamur. Tu ex. gr. prædicas in Quadragesima, ubi stipendium centum Scutorum taxatum, & fixum est; de necessitatibus vero tuis, vel Communitatis, deque nulla ex iis *arctaiionibus* præscriptis cogitas. Jam vero terminata prædicatione vel admittis ea Scuta centum, & Syndico fideliter consignari facis, vel non admittis. Si non admittis: igitur primo generatim committis contra omnes Pontifices, qui universe *quamcumque* pecuniam *quomodolibet* provenientem Syndico esse consignandam præscribunt: deinde committis speciatim contra Innoc. XI., qui hoc peculiariter, ut apparet ex Suppos. XIV., de prædicationis

pecunia præscribit: tandem furaris Pontifici ea centum Scuta, eique propterea teneris illa restituere, quia non admittendo, atque ejus Procuratori non consignando, ut is præscribit, permittis, seu cooperaris, ut Pontifici surripiantur, quia ipsius sunt. Jam enim patet ex dictis, & eam pecuniam, re, seu prædicatione præstita, ex parte Dantium jure naturali, & civili deberi, quamvis ex parte nostra per modum eleemosynæ tantum recipiatur, & utpote consequenter dominio abdicatam transire in Pontificis proprietatem. Igitur non solum admittere potes, sed debes, ideoque apud Syndicum deponere facis. Quod autem de pecunia ex Prædicatione dicimus, idem de alia quacumque ex Missis, Officiis, Cathedris, manuali labore, vel sponte liberaliter data, relicta, verbo *quomodocumque* licite parta generaliter, & sine expressa dominii reservatione (quod perraro contingere solet) affirmandum est; nempe eam esse absolute, & indifferenter Syndico consignandam, quia tota Pontificis est. Nunc tu, discurrendo per singulas allatas *modificationes*, & singulas cum injuncta a Pontificibus hujusmodi pecuniæ *cujuscumque* apud Syndicum *depositione* conferendo, quod facillime potes, ostende mihi, num, & quomodo vel ex illis una cum hac consistere, atque verificari possit, & eris mihi magnus Appollo. Quapropter cum nulla earum *arctationum* cum *Deposito* isto compati queat, evidens fit, per Syndicorum institutionem omnes prorsus dispensatas, quoad pecuniæ *Depositum*, atque sublatas esse.

Et ut id specialiter probetur de *arctatione* quarta, ad quam tota demum præsentis quæstionis difficultas reducitur, nimium quod non possit deponi pecunia pro necessitatibus simpliciter *futuris*, hoc præterea peculiari Syllogismo uti potest. Consignare Syndico pecuniam indifferenter *quamcumque* in *necessitates occurrentes*, *pro tem-*

tempore, idem omnino per se est, ac consignare in necessitates simpliciter, & utcumque *futuras*. Atqui tenemur consignare Syndico indifferenter omnem pecuniam in necessitates *occurrentes*, *pro tempore*. Ergo non solum possumus, sed debemus deponere pecuniam in necessitates simpliciter, & utcumque *futuras*; ideoque ea *arctatio* per Syndicorum institutionem pariter sublata est. Major est evidens: nam necessitates *occurrentes pro tempore*, sunt per se *vagæ*, & *indeterminatæ*, sicuti sunt *futuræ*; *præteritæ* autem, *præsentes*, vel *imminentes* sunt *determinatæ*: tum *occurrentes* antequam *occurant* non sunt *præsentes*; & *occurrere* possunt etiamsi *imminenter* non *occurrant*, sed postea *occurrant*, seu esse queunt *occurrentes* etiamsi non sint *imminentes*, sed sunt *indifferentes* ad omnem differentiam temporis, cum hanc per se importet, & significet verbum ipsum *occurrere* & *pro tempore*, fiuntque solum, *præsentes*, cum *occurrunt*: unde quod sint *occurrentes*, & *futuræ* idem est. Minor vero liquet ex Pontificum Bullis. Consequentia & legitima, & evidens est.

Neque ad hanc probationem infringendam ad rem foret, & quippiam valeret responsio de Communitate, cui necessitates nunquam desunt. Tum quia sermo est simpliciter de *Deposito* comparate ad *Recursum*, præscindendo ab eo, quod est commune, vel peculiare, uti supra admonuimus: tum quia omnes illæ *modalitates*, seu *arctationes* pro Fratribus & sigillatim & universim æque præscriptæ sunt: quo fit, ut neque pro Communitate pecunia *quæcumque* acceptari, & deponi possit, nisi habita ratione omnium illarum *modalitatum*, ideoque nisi de facto necessitates sint *determinatæ*, & vel *præteritæ*, vel *præsentes*, vel *imminentes* &c., idque sciatur: quod cum superiori explicata Pontificum dispositione conciliari nullo modo potest, cum necessitates simpliciter *occurrentes pro tempore*, sicuti ii appellant, non

non sint hujusmodi, quemadmodum evidenter probavimus.

Probatur nunc minor quoad secundam partem, nempe quod neque cum *Recursu* ad pecuniæ *Depositum* apud Syndicum illæ *modalitates* consistere, & conciliari possint. Et quidem omissis prima, & tertia ut supra, quæ jam tales supponuntur, nempe necessitas & *vera*, & *propria* de 5.; quæ est, *quod necessitati nequeat provideri per commodum rei quæstum in propria specie* constat huic *Recursui* nihil obstare. Primo enim tale generale, & indifferens pecuniæ *Depositum* nil obsistit, quo minus res etiam in propria specie quæri possit, ut liquet. Deinde si obsistit, habetur intentum, quia inde consequitur, rem illam potius per recursum ad illud *Depositum*, quam per quæstum provideri debere. Denique cum melior, & regulæ conformior provisionis modus sit ille, qui habetur ex mercede laboris sive spiritualis, sive corporalis, quam qui exurgit ex mendicatione, uti alias vidimus, non solum possumus, sed melius facimus cum utimur in necessariorum provisionibus illo priori modo. Et ita profecto facimus, cum ad illud pecuniæ *Depositum* pro necessitatibus recurrimus absque eo quod ad rei quæstum in specie propria recurramus: quippe recurrimus ad ipsam laboris mercedem, uti in exemplo de Prædicatione, Missis &c. ostendimus, quæ merces, utpote in pecunia, juxta Ponticum ordinationes apud Syndicum deposita est. Quapropter *modalitas* 5. vel cum *Recursu* ad *Depositum* consistere non potest, vel si consistit, maxime infert licitum talem *recursum*.

De reliquis omnibus a quinta usque ad ultimam nihil necesse est dicere, cum pariter constet, earum nullam in *recursu* ad Syndicum locum habere posse, neque cum eo *recursu* conciliari, sicuti cuique singulas consideranti, & cum *recursu* conferenti apparebit, quia solum

ſolum relate ad privatos, & indeterminatos Amicos ſpirituales, propter quos præſcriptæ ſunt, valere poſſunt.

Reſtant igitur ſolæ 2., & 4. quæ ſunt, *quod neceſſitas eſſe debeat determinata*; & *quod præterea*, vel *præſens*, vel *imminens*, minime ſimpliciter *futura*. Ad has enim ſolas tota difficultas quoad *Recurſum* reducitur, eo quod hæ duæ videantur in eo locum habere poſſe. Oſtenditur tamen etiam de iſtis duabus minor. Sed prius recogita hæc quatuor. 1. eas *modalitates* fuiſſe a Nicol.; & Clem. præſcriptas tantum pro vagis, & indeterminatis Amicis ſpiritualibus ſive principalibus, ſive ſubſtitutis: nam Syndici noſtri nondum nati erant. 2. iſtorum Amicorum uſum ſolum ad pecuniam *rogatam*, vel *ſponte oblatam*, & ad ſummum teſtamento *relictam*, vel ex mobilibus alienatis partam ſe extendiſſe; non ad pecuniam *quamcumque*, præſertim ex mercede laboris &c. 3. conſequenter in illorum uſu *recurſum* ad pecuniam eſſe ſemper priorem ipſo *Depoſito* ejuſdem pecuniæ: quia hic ordo apud illos ſervatur: prior eſt *neceſſitas*, quæ occurrit: Secundus *recurſus*: tertium *depoſitum*. Nam ſive Amicus ſpiritualis ſponte Fratribus offerat ſe ad hoc, ut illi ad ipſum recurrant pro pecunia, ſive rogetur ab illis recurrendo, & ſive apud ſe depoſitam teneat eam pecuniam pro ipſis, ſive præſertim deponat apud Subſtitutum, liquet, *neceſſitatem*, & *recurſum* priorem eſſe *depoſito*. 4. denique contrarium ſemper fieri, ut ſupponitur, apud Syndicum, apud quem, cum pecunia *quæcumque* generaliter, & indifferenter conſignanda ei ſit, conſtat, *depoſitum* pecuniæ ipſo *recurſu* ad ipſam ſemper prius eſſe: quia hic apud illum inverſus ordo ſervatur: prius eſt *Depoſitum*: Secunda *neceſſitas*: tertius *recurſus*.

Nunc prob. Minor 1. *Depoſitum* apud Syndicum ex pontificia ordinatione fit propter *recurſum* in neceſſitatibus

tibus. *Depositum* fit pro necessitatibus *indeterminatis*, & simpliciter *futuris*, non pro *determinatis*, & *præteritis* &c. tantum ex eadem ordinatione. Igitur *recursus* quoque fieri poterit pro necessitatibus simpliciter *futuris*: adeoque ea *arctatio* neque quoad *recursum* necessario cum pontificia dispositione connexa est. Major & per se patet, & constat ex Bullis, in quibus prius dicitur, ut Fratres deponant, tum recurrant. Minor est demonstrata in probatione Minoris quoad primam partem; consequentia sequitur.

Prob. eadem minor 2. Nam quando fit hujusmodi *depositum* pecuniæ pro necessitatibus *occurrentibas*, *pro tempore*, non fit, ut tunc de facto ad aliquam recurratur, cum contingere possit ut nulla tunc de facto sive de *præterito*, sive de *præsenti*, sive de *imminenti* necessitas *determinata* occurrat. Fit igitur, ut recurratur quando occurret, hoc est quando fiet *præsens*. Hoc autem nihil est aliud, quam *depositum* fieri quidem nunc, seu de præsenti, sed fieri, ut recurratur pro necessitatibus sive *præteritis* &c., sive *futuris*. Quis enim est, qui recurrat ad necessitatem, quæ illi non occurrit? Vel ergo necessitas *occurrens* sumitur nunc pro *futura*, vel pro *præsenti* tunc cum *occurret*. Utroque autem modo necessitate sumpta obtinetur intentum. Nam si sumatur primo modo, eæ *arctationes* in *Recursu* locum non habent, cum sic fieri possit pro necessitatibus *simpliciter futuris*. Si vero secundo modo, locum pariter non habent, hoc est *recursui* hujusmodi non obstant, cum sic eæ in *recursu* omnino observentur, quippe qui fit in necessitatibus semper *determinatis*, & *præsentibus*.

Confirmatur prima generalis Conclusionis ratio ex doctrina, quam tradit Bened. XIV. Lib. 9. De Synodo Diæcef. cap. 4. n. 7. Nam loquens de Concilio Tridentino docet, quod *ut Papa deroget Concilio*, *non est*

neces-

necesse, *ut expresse faciat ejusdem mentionem*, *sed satis est*, *ut statuat aiquid*, *quod Concilii decretis adversetur*. Ex hac igitur doctrina sic licet argumentari. Ut alicui decreto *canonico* derogetur, seu ut aliquod *canonicum* tollatur, etiamsi fuerit a Generali Concilio statutum,non est necesse, ut ejusdem decreti *canonici* mentio *expresse* fiat, seu ut ejus derogatio, aut sublatio clare, & peculiariter *exprimatur*, sed satis est, ut a Pontifice statuatur aliquid ei *canonico* adversum. Atqui Pontifices instituendo Syndicos, & ordinando, ut iis pecunia indifferenter quæcumque ut supra consignetur, *statuerunt aliquid* omnibus iis *conditionibus*, seu *arctationibus adversum*, ideoque *statuerunt aliquid* Decretalibus Nicolai Clem. V., III., & consequenter Concilio Generali Viennensi, in quo Clem. Decretalis edita est, *adversum*. Igitur per PontificesSyndicos instituentes omnes ille *arctationes*, seu *modificationes* sublatæ sunt. Major est Bened. XIV., id quod ad omnimodam veritatem satis est. Minor est supra evidenter partium enumeratione demonstrata: consequentia legitima, & necessaria est.

Hæc sola ratio rem ita præsentem conficit, atque extra aleam debitationis ponit, ut alia superaddere supervacaneum sit. Tamen pergamus, & etiam aliis mediis, & vel ex Studioso earum *arctationum*, quod in Pontificum Bullis fit, silentio conclusionem probemus.

Prob. 2. Omnes recensitæ *modificationes*, seu *arctationes* in omnibus, & per omnia *æqualiter* a Nicolao, & Clem. pro *recursu* præscriptæ sunt, ut liquet ex eorum Decretalibus. Ergo vel omnes quoad *recursum* etiam apud Syndicum locum habent, vel nullæ, cum *æque*, inquam, præscriptæ sint. Atqui quamplures, imo maxima earum pars, indubitanter locum non habent, ut supra constat, sed sublatæ sunt. Ergo nulla locum habet, sed omnes pariter sublatæ sunt.

Et confirmatur. Cum enim in Bullis Nicol., & Clem.

omnes

omnes illæ *modalitates* præscribantur *æqualiter*, juxta vero dispositiones præsertim Pauli IV., & Pii IV. ex maxima parte sublatæ censeantur, uti certo vidimus; quod non omnes dici debeant sublatæ, nisi aliquæ, v. g. 2. & 4. *expresse* in his pontificiis dispositionibus excipiantur rationabiliter dici non potest. At hoc in istis ne dum factum non est, verum etiam omnes illæ *modalitates* ita omissæ sunt, ut de iis nec vola reperiatur, nec vestigium. Tantummodo enim hæc verba leguntur *in necessitates*, *utilitates pro tempore*. Cur igitur Paulus, & Pius nullam nec *expresse*, *nec implicite* exceperunt, sed omnes omiserunt? cur ne quidem ipsam generalem parenthesim (*pro ut eis licet ex Regula*, *vel declaratione Regulæ*, quam alii præcessores, ut vidimus, in suis Bullis allegarunt, & de qua nos suo loco fuse egimus, in suis Dispositionibus inseruerunt? cur verba saltem aliqua iis similia, quibus Nicolaus, & Clemens usi sunt, non usurparunt? cur saltem horum Decretales non allegarunt, aut indicarunt? Quia enim Clemens V. volebat Decretalem Nicolai etiam quoad eas omnes *modalitates* confirmare, suamque Constitutionem eidem prorsus conformari, idcirco non solum eamdem distinctissime, ac nominatim laudavit, sed etiam omnes illas *arctationes* semel, iterum, & tertio verbis complexus est: quod ita semper fieri solere a Pontificibus in suis Bullis, cum illos res urget, ex earumdem tenore colligere licet. At enim nihil inquam, horum factum est, quin potius contra omnino factum est. Nam Paulus, & Pius ita in doctrina tradenda *de recursu* & de *necessitatibus* gesserunt se, ut de ulla alia suorum prædecessorum quorumcumque facta super re eadem dispositione ne quidem rationem habuisse, ne quidem alium quempiam ex suis antecessoribus extasse, qui de re eadem egerit, sensisse videantur. Adeo relicta, adeo sublata, exceptis verbis prædictis in *necessitates*, *utilitates*,

pro

pro tempore, omnia sunt. Lege in fonte horum Pontificum Bullas attente eas considerans, & hanc eorum mentem, ac intentionem fuisse proculdubio perspicies.

Atque ut hujusce, etsi inficialis, argumenti, utpote ab illarum arctationum *silentio*, & *omissione* petiti, vis adhuc magis cognoscatur; considerare oportet, quid interfit inter res *juris*, & *facti*, inter res, quas omittere multum, aut nihilum referat, inter res probe notas, & ab aliis inculcatas, & tamen consulto, ac de industria plane omissas, a rebus vel ignotis, vel forte omissis, & hoc discrimine huic argumenmto, negativo licet applicato, efficacia ejus penitus maxima innotescet. Etenim Paulus, & Pius eas omnes *arctationes* omittendo, rem & ad conscientiam spectantem, & sibi oppido cognitam, & a Nicolao, atque Clemente valde inculcatam, non forte, sed dedita opera, cum aliter facere debuissent, ac facile potuissent, omiserunt. Ut propterea in hanc rem hæ regulæ Juris quadrare possint: *quidquid adstringendæ obligationis causa dictum, id nisi palam exprimatur, omissum esse intelligendum est.* l. quidquid ff. de verb. oblig. Et: *contra eum, qui dicere potius apertius, interpretatio stricta facienda est si aliud voluisset, expressisset*. l. Viri ff. sin autem C. Et: *Lex* de Caduc. toll. Hinc ajunt celebres Jurisperiti (Vide Menoch. Cons. 30. n. 8.) præsumi legem noluisse imponere id, quod non expressit, cum facile exprimere potuisset.

Insuper fac primo, ex tot Pontificum Declarationibus super Regulam emanatis, cæteris vel de medio sublatis, vel prorsus incognitis, solas Pauli IV., Pii IV., & Innoc. XI. superesse, aut cognitas esse. Peto. In hisce solis Declarationibus vel habetur necessaria, ac sufficiens doctrina de usu pecuniæ per Syndicum, unde Fratres Regulæ præceptum inculpate observare possint; vel non habetur. Si non habetur: igitur hi Pontifices

tifices nihil hac de re nobis tradiderunt, vel potius, tradendo nobis mutilam, ac insufficientem doctrinam, nos deceperunt; & præsertim Innoc. XI. nos decepit, qui purum, ac licitum Syndicorum usum etiam juxta *Dispositionem* Pauli IV. declaravit. Si vero habetur: igitur Fratres utendo solis Paulinis, & Pianis *Dispositionibus*, sine cognitione alterius *Declarationis* cujuscumque, & faciendo in *recursu* ad pecuniam apud Syndicum ea omnia, & sola, quæ in iis *Dispositionibus* præscripta reperiuntur, procul dubio ab omni noxa immunes sunt. At in iis *Dispositionibus* hæc omnia, & sola quoad *recursum* inveniuntur præscripta: nempe quod omnis pecunia Syndico consignetur: & quod ad illum (supposito Superiorum *scitu*, *seu assensu*) recurratur in *necessitatibus*, *utilitatibus*, *pro tempore*: de illis *arctationibus* ne verbum quidem, ne vistigium quidem, uti diximus, reperitur.

Quamquam quid in hac re fictione opus est? nonne reale exemplum habemus? Jam apparet ex Historia N. III. n. 11., quindecim fluxisse annos a Declaratione Innoc. IV. (una cum Declarat. Alex. IV.) usque ad Capitulum Narbonense, in quo suspensa est. Apparet quoque hunc Pontificem in sua Declarat. illam *conditionem* de necessitate *præterita*, *præsenti*, vel *imminenti* a Gregorio IX. præscriptam scienter omisisse, imo ejus loco vocem *commoda* posuisse. Nunc rogo, num per illud temporis spatium Fratres uti licite potuerint ea Declaratione? quis ambigit? num necessaria, & sufficiens doctrina de pecuniæ *recursu* pro illo tempore in ea contineretur? quis dubitat? igitur Fratres tunc poterant recurrere ad pecuniam pro suis *necessitatibus*, & *commodis* juxta Innoc. Declarationem, omissa Gregoriana. Igitur nulla habita ratione ejus *arctationis*, quæ pro necessitatibus a Gregorio præscribitur. Cur ita vero? non alia profecto ratione, nisi quia ea *arctatio* ab

Innoc.

Innoc. IV., ſcienter, & conſulto, ut ſuo loco oſtendimus, omiſſa eſt. Nam neque generatim, neque ſpeciatim, neque diſtincte, neque confuſe, neque explicite, neque implicite dixit ſe abrogare, aut diſpenſare eam *arctationem*, ſed ſolum omiſit, cum ſcienter non omittere potuiſſet, ac debuiſſet, ſi etiam ipſe intactam voluiſſet.

Præterea fac in aliquorum Pontificum Bullis reperiri per clara verba expreſſa odioſa aliqua, v. g. caſuum reſervationes, auctoritatis reſtrictiones, aliaque ſimilia (nam de favorabilibus diverſa ratio eſt); tum poſteriores aliquos Pontifices in ſuis Bullis eadem de re agentes ex profeſſo, ſimiliterque docentes, ordinantes, diſponentes, dirigentes, aliqua ex odioſis prædictis omittere; idque ab iis ſcienter, atque de induſtria factum oſtendi poſſit: an ne ex tali ſilentio, ac omiſſione rationabiliter colligi poteſt, odioſum illud eſſe ſublatum, hoc eſt amplius vim apud nos non habere? Si enim etiam ſola conniventia, ac tolerantia Apoſtolicæ Sedis efficere poteſt, ut culpa careant qui contra operantur, ac ea ſtatuit, ſicuti nonnullis exemplis, & quidem in re valde gravi, Pontifex ipſe Benedict. XIV. De Synodo Diæceſana luculenter oſtendit; multo magis voluntaria, ac ſtudioſa omiſſio, ab ea in ſuis Bullis facta, illa prorſus ratione, qua factam demonſtravimus; idem efficere poterit. Atqui exempla hujus omiſſionis de rebus odioſis non ficta, ſed realia, & vera ſunt, utpote quæ non pauca ex Canonicæ, & Moralis facultatis penú depromi poſſunt. Eodem prorſus modo ex eo, quod Pontifices noſtri illas omnes *modalitates* ratione jam explicata penitus omiſerunt, rationabiliter colligitur, de medio eſſe omnino ſublatas.

Ex quo corruit totum id, quod contra aſſerit Adverſarius cap. 17. pag. 62., nempe ſilentio, & omiſſione non poſſe aliquod Canonicum tolli. Nam ut præ-

 tercam,

tercam, & sola conniventia, ac tolerantia, ut supra eo sensu diximus, & quovis alio modo Pontifici ipsi bene viso, tolli posse; Censoris assertio ut summum vera esse posset de silentio, & omissione pure, ac nude sumta, minime de omissione iis circumstantiis adminiculata, quæ in re nostra locum habent. In Bullis etenim Syndicorum prædictis non solum adest hæc studiosa illarum *modalitatum* omissio, sed simul etiam adest talis de pecuniæ *deposito*, atque ad illam *recursu* dispositio, ac ordinatio pontificia, quacum consistere, atque conciliari eæ modalitates non possunt: unde non sola omissione *canonica* aliqua *ordinatio*, sed etiam *ordinatio canonica alia* seu *diversa ordinatione sublata est*.

At quod est ad vocem *pro tempore*, reponit Adversarius cap. 14. pag. 49., etiam Nicolaum, & Clementem loquentes de necessitatum provisione, uti eadem voce *pro tempore*, in qua ponitur a me vis tanta, & tamen *arctationes* prædictas per illam non excludi.

Sed fallitur. Non enim ponitur a me vis magna in hac expressione sola *pro tempore*, sed conjuncta cum industriosa omnium illarum *modalitatum* omissione, atque cum expressa injunctione, quod pecunia *quæcumque* Syndico debeat consignari, quacum pugnant illæ *arctationes*. Componat oppositor simul hæc tria, & videbit ex responsione imo hac sua magis firmari argumentum meum in contrarium. Nam quia Clemens, & Nicolaus illas *modalitates* præscriptas voluere, ideo non obstante ea voce *pro tempore*, qua etiam ipsi usi sunt, eas omnes *arctationes* distincte, expresse, nominatim, & quidem pluries, data opera etiam addiderunt: ergo quia contra Paulus, & Pius in diversa pecuniæ dispositione ea sola voce *pro tempore* contenti sunt, & illas omnes *modalitates* prorsus omiserunt, ideo eas præscriptas noluere.

Prob. 3. ex Constitutionibus Martinienis: nam in istis

istis a Martino V. omnes *arctationes* expresse dispensatæ sunt. Etenim cap. 4., ubi statuitur, *quo quilibet Conventus habeat suum Syndicum, cui omnes eleemosynæ consignentur, & ab eo dispensentur in Fratrum necessitates occurrentes*, dicitur: *In omnibus autem, quæ ultra hæc (vel ultra hoc) magis arctarent (vel videntur arctare) Fratres sive ex Declaratione Clem. V. sive ex quacumque alia Declaratione summorum Pontificum, vel aliorum quorumcumque, auctoritate nobis commissa* (inquit Cardinalis Martini V. jussu Capituli Præses) *misericorditer dispensamus*. Vide in Historia N. VIII.

Priusquam exinde formetur argumentum; utque omnia recte percipiantur, plura præmonenda sunt.

1. In primis me non usurpare hanc Capituli Generalis sanctionem qua purum Ordinis Statutum, sed qua pontificiam dispensationem. Nam non Fratres dicunt, sed Papa ore Cardinalis dicit, *dispensamus*. Unde statim apparet, quam immerito me Censor cap. 21. pag. 76. coarguat contradictionis, eo quia dixerim Suppos. XV., me nolle in hac quæstione Statutorum Ordinis habere rationem, cum tamen Martinianum hoc Statutum adsciverim in subsidium. Nam hoc etiam prætermisso, me intellexisse, nolle *principaliter*, nempe ita ut ex Statutis questio vel ex toto, vel maxime dirimeretur, ut alias dixi; (quid enim prohibet, si quid etiam ex his quæstioni favorabile exculpi possit, eo ut sententia confirmetur? nonne pluribus sententiæ & probari, & confirmari solent?): constat, eam non Capituli, sed Papæ esse Sanctionem, qua mea sententia comprobatur.

2. Hanc *dispensationem* in calore ipso Reformationis Ordinis, & pro ipsa Reformatione, & S. Joan. a Capistrano opera impetratam, ac factam esse, item tanquam veram *dispensationem* ab Oppositore ipso, & a Corduba ea ratione, qua infra videbimus, haberi, & agnosci.

 3. Quod

3. Quod habeatur Syndicus, cui omnis pecunia sit consignanda &c. hoc *arctationem* in Regula esse: ut patet tum ex Clem. VII. qui ita declaravit N. XI.; tum ex Regula ipsa, quæ optionem, ac facultatem recurrendi generatim, & indeterminate ad Amicos Spirituales derelinquit.

4. Ex septem Pontificibus, qui Mart. V. præcesserunt, nempe Gregor. IX. Innoc. IV. Alex. IV. Nicol. III., Mart. IV., Nicol. IV., & Clem. V., tres tantum præceptum de pecunia quoquo modo arctavisse, scilicet Greg. IX., Nicol. III., & Clem. V. Nam ex Declarationibus allegatis constat, Innoc. IV., Alex. IV., Mart. IV., & Nicol. IV. (excepta ab his duobus Syndici unius, uti prædicitur, institutione,) non arctasse, sed potius, si ita loqui licet, laxasse.

5. Non dici in hac sanctione, quod Fratres dispensantur *in omnibus* (*ultra hoc* &c.), quæ eosdem *arctarent* juxta eorum dubium, judicium, aut opinionem, sed quæ de facto eos *arctarent*, vel *videntur arctare ex Declaratione*, seu juxta *Declarationem Clem.* V. &c.: quibus verbis manifeste indicantur non ambiguæ, aut putatæ *arctationes* quædam Fratrum, sed certæ, ac de facto existentes, & præscriptæ in *Declaratione Clem.*, & aliorum Pontificum &c.

6. Clem. V. in decidendis quibusdam dubiis, quæ habebant Fratres, Regulam non arctasse sed potius laxasse; v. g. an liceret recurrere ad pecuniam pro aliis necessitatibus, præter quam infirmorum &c., an tenerentur in omnibus ad usus arctos &c. nam constat decidisse, recurri posse etiam pro aliis similibus; & non obligari nisi ad eos arctos usus, qui in Regula præscribuntur, ut alias diximus.

7. In primo, secundo, & tertio Capitulo Martinianarum harum Constitutionum nullam specialem *arctationem* neque de re pecuniæ, neque de alia

qua-

quacumque reperiri, ut legenti exploratum fiet.

8. Per hoc Statutum non adstringi eos, qui vellent præfatas Declarationes Clem., & Nicolai &c. magis arctantes nihilominus observare, sed liberos esse, ut in calce Statuti conceptis verbis dicitur.

9. Tandem in hoc solo cap. 4. agi de præcepto pecuniæ, ideoque agi ex professo, & ordinari totum id, quod hac de re erat ordinandum. Quod etiam patet ex ipso Titulo qui est. *De procuratione eleemosinarum pecuniariarum, & infirmis: quod Fratres non recipiant pecuniam.*

His præmonitis facile patet legitimus, ac verus sensus hujusce Statuti, atque *dispensationis*, indeque formatur argumentum, quod veluti ex ore Martini V. per Cardinalem Fratres hoc modo alloquentis elici potest.

Quantum ad præceptum de pecunia, & de recursu ad ipsam; quod vos, Fratres, habeatis unum tantum Syndicum, seu Amicum spiritualem determinatum: quod ei soli debeatis omnem pecuniam consignare: quod per illum solum debeat expendi: & quod ad eum solum debeatis recurrere in vestris necessitatibus: *in his, in hoc* equidem vos arctamini, quandoquidem secundum Regulam hæc omnia per varios fieri amicos spirituales licet, & integrum est. Tamen quoniam alia multa sunt, in quibus super hoc præcepto vos etiam arctamini secundum *Declarationem Clem. V., vel aliorum Pontificum*; si vultis (nam in hoc non adstringimini) acceptare hanc solam *arctationem* de habendo tantum ut supra uno Syndico, in aliis *omnibus*, in quibus, *ultra hæc* (vel *ultra* hoc,) seu *præter hæc*, *præter hoc* (*oltre di queste cose*, *oltre di questo*) vos *arctamini*, aut *videmini arctari*, *sive ex Declaratione Clem. V. sive ex quacumque alia Declaratione summorum Pontificum* &c. Nos vos *misericorditer dispensamus*. Itaque habetote de cætero

pro unoquoque Conventu unum Syndicum : illi consignate pecuniam quamcumque : per ipsum expendite : ad ipsum recurrite in vestris necessitatibus *occurrentibus* : *in his*, inquam, *in hoc* tantum patimini esse *arctati* : in cæteris *omnibus*, in quibus *præter hæc*, *præter hoc* vos quomodolibet circa pecuniæ præceptum *magis arctati* estis a Clem., vel vos *arctavit sive Clem. V.*, *sive alii Pontifices quicumque* (nempe Greg. IX. , & Nicolaus III. , uti diximus præmonitione 4.) Nos vos *misericorditer dispensamus*. Atqui ea, in quibus Fratres per hos Pontifices *magis arctantur*, sunt omnes illæ *modalitates*, seu *conditiones*. Ergo omnes illæ *arctationes* per Martini V. dispensationem sublatæ sunt.

Ex hoc argumento una cum omnibus præmonitionibus prædictis evidenter refelluntur quæ in hanc rem Adversarius reponit cap. 21. pag. 79., & seq. Hæc autem tria sunt. 1. quod per illa verba *in omnibus autem* &c. non dispensantur illæ *conditiones*, seu *arctationes*, sed multa alia, de quibus dubitabant Fratres in Bullæ Clementinæ executione, inter quæ ad exemplum affert illa duo a me posita præmon. 6. 2. quod *Statuti dispensatio probabilissime non cadit solum super materiam pecuniæ, & paupertatis, sed super alia etiam, quæ præceperat in Capitibus præcedentibus*. 3. quod etiamsi ponatur hæc (ille enim talem affirmat his verbis, *cum evidentissime sit dispensatio a Regula*) esse *dispensatio*; tamen ei, etiam me concedente, est derogatum (sicut & aliis privilegiis, aut dispensationibus quibuscumque) per Bullam Innoc. XI. *Sollicitudo Pastoralis* 1679. quæ jam a me suo loco relata est; & sæpe ab ordine protestatum in Capitulis Generalibus, quorum tria hic affert, a se nullam unquam *dispensationem* acceptatam esse, aut acceptari, sed se velle vivere secundum Declarationes Nicolai, & Clementis : quare hoc Statutum nullam vim habet.

Sed

Sed hoc tertio nunc prætermiſſo, de quo infra in objectionibus ſpecialiter loquemur: num reliqua duo, quæ a Cenſore reponuntur, cum veritate ullo modo ſtare poſſint, Lector ipſe, conſideratis prius attente verbis Statuti, tum collatis reſpective cum præmonitionibus meis, ſed præcipue cum 2. 4. 5. 6. 7. & 9. inſuper collatis cum probatione Minoris principalis quoad primam partem, facile judicare poterit. Verum quoniam in re magna verſamur, præſtat hæc duo reſponſa peculiariter examinare, & ad earum præmonitionum trutinam revocare.

Primo itaque generatim: Statutum non dicit, *in multis autem ultra hoc*, *ultra hæc*, *ſed in omnibus*, *quæ magis arctarent ultra hæc*, *ultra hoc*, *ſive ex declaratione Clementis &c.* Satis ne intelligis? ergo omnia, prorſus omnia, quæcumque illa ſint, quæ *arctant*, vel *arctare videntur*, præter ea præſcripta in Syndici unius inſtitutione, atque determinatione, præter quæ dubio procul exiſtunt illæ omnes *modalitates*, ſeu *conditiones*, diſpenſata ſunt, proindeque non tantum ea multa, quæ tu putas, & inter quæ eſſe *modalitates* iſtas non putas, ſed omnia, inquam, ſeu etiam omnes hæ *conditiones* diſpenſatæ ſunt, quandoquidem etiam iſtæ *arctant* profecto *magis*, vel *arctare videntur*. Quod confirmatur etiam ex cap. 12., ubi iterum dicitur; *in omnibus aliis Conſtitut.*, *& Stat. ordinat.*, *& declaration. tam Summorum Pontificum &c.*, *diſpenſamus*.

Præterea complures ſane ex his *modalitatibus* in his verbis, *in omnibus ultra hoc*, indubitanter incluſæ contineri debent, nempe illæ omnes, quas cum Syndici forma ſupra evidenter oſtendimus conſiſtere ex rei natura, & conciliari non poſſe. Cur igitur non omnes, cum in Clem. Declaratione &c. æqualiter præſcribantur, & hic dicatur *in omnibus*, *quæ magis arctarent ex Declaratione Clem. &c. diſpenſari*? Ut omittam non

dispensari super apprehensas, atque reputatas a Fratribus *arctationes*, sed super vere, & realiter existentes *arctationes* in Declaratione Clementis.

Deinde speciatim inquiro. Ea duo, quæ affert oppositor in exemplum quæque nos præmon. *6.* attulimus, sunt ne Regulæ *arctationes?* imo potius sunt *laxationes*, seu *remissiones*, ut per se patet, & ibidem diximus. Quomodo ergo hæc duo contineri possunt tanquam *dispensata* in his verbis, *in omnibus*, *quæ ultra hoc magis arctarent*, si hæc nihilum *arctant*, sed potius *laxant?* idemque dicito de aliis similibus, si forte exinde afferantur. Etenim quæcumque similia afferantur, vel *magis* in aliquo *arctant* præcepta præter eorum substantiam, vel non *magis arctant*. Si primum: igitur omnia *dispensantur*, quia dicitur *in omnibus dispensamus*. Si secundum: igitur neque *dispensantur*, neque necesse est *dispensari*, quia non *dispensantur* nisi omnia illa, quæ *magis arctant*: vel si nihilominus *dispensantur*: igitur *dispensantur* etiam aliqua præcepta quoad eorum substantiam: ergo S. Joan. a Capistrano curavit, & effecit, ut dispensarentur aliqua præcepta Regulæ quoad substantiam. O pulcram Ordinis reformationem ab illo tantopere procuratam!

Quod autem ad secundum pertinet, primo in eo cap. 4. specialiter, & consulto agitur de pecuniæ præcepto: in eo statuuntur quæ pro illius observatione Syndici unius determinatione servanda sunt: jam patet, pecuniæ præceptum esse ab aliis omnibus omnino disparatum, ac diversissimum: pariter constat, verba esse intelligenda de re, seu materia sermoni subjecta, proindeque non esse alio trahenda. Jam vero loquens Statutum de pecunia, de Syndico, & statuens quæ facienda sunt, ita dicit, & infert: *in omnibus autem*, *quæ ultra hoc*, *ultra hæc*, oltre *di questo*, oltre di *queste cose*, (quas nempe diximus, præscribimus, de

quibus

quibus loquimur:) & hæc trahere oportebit ad alia omnia, quæ in capitibus præcedentibus reperiuntur, longe a re præsenti distantià, disparata, & omnino diversa?

Deinde cum dicatur, *in omnibus*, *quæ ultra hoc magis arctant*, *vel arctare videntur sive ex Declaratione Clementis*, *sive quacumque alia declaratione Summorum Pontificum*, videndum est, num in tribus capitibus præcedentibus extent plura, vel pauca *arctantia* ex hujusmodi declarationibus pertinentia ad Regulæ præcepta, nam de his Pontifices præcipue loquuntur. Nunc lege attente ea capita, & nihil hujusmodi in præceptis *arctans* desumtum ex Clementis, aut Nicolai &c. declarationibus invenies. Non enim invenies, nisi nota regulæ præcepta, juxta Clem., & Nicolaum enumerata, ac tradita secundum ordinariam intelligentiam, & obligationem. Cum igitur ex Declaratione Clem. &c. desumta non reperiantur ulla *arctantia* tradita in tribus capitibus præcedentibus, manifestum est, ad ea, quæ in his continentur, hæc Statuti verba, *in omnibus autem*, *quæ ultra hoc magis arctant sive &c.*, referri, ac trahi non posse, vel si trahi, consequi, fore *dispensata* omnia Regulæ præcepta, quæ inibi traduntur: quod esset non reformationis a Capistrano procuratæ, sed totalis corruptionis ordinis, ut supra diximus. Quare optime aget Censor, si illud *probabilissime* deleverit, & illius loco *improbabilissime* conscripserit. Cumque ex opposito constet, in præcepto de pecunia plura esse *arctantia* ex Declaratione Clem., & Nicolai &c., nempe eas omnes *modalitates*, seu *conditiones*; & hoc capite 4. specialem esse Sermonem de hoc præcepto, fit evidens, si *in omnibus ultra hæc*, quæ hic statuuntur, *magis arctantibus* dispensatur, eas omnes *modalitates* dispensari.

At enim quomodo hoc verum esse potest, si in iisdem

dem Martinianis clare ſtatuitur, & ordinatur oppoſitum? Nam cap. 1. ſtatuitur, & ordinatur *illud inconcuſſe tenendum, quod Nicolaus declaravit in ſua Decretali a* ff. Porro *ſucceſſive, & ſeriatim per ordinem uſque ad* ff. *Verum quod expreſſe continetur in Regula*; uti ſuo loco retulimus. Inter autem hos duos Paragraphos omnes illæ *modalitates* tractatæ, explicatæ, præſcriptæ continentur.

Equidem ita eſt. Verum hic nodus primum etiam ab ipſo Cenſore, & aliis Adverſariis ſolvendus eſt. Nam hac in re duo ſane indubia, & evidentia ſunt: alterum, hic tractari de pecuniarii præcepti obſervatione per Syndicum, ſeu relate ad Syndicum, proindeque illa verba *in omnibus ultra hæc*, non niſi de hoc præcepto comparate ad ordinata ſuper Syndico intelligi poſſe, ut demonſtravimus: alterum, maximam earum *modalitatum* partem cum hujuſmodi Syndici forma, ſeu cum ordinatis relate ad ipſum, abſolute compati non poſſe, ut pariter demonſtravimus. Exiſtimo enim, duo hæc a nullo ſanæ mentis inficiari poſſe. Nunc Adverſari te ipſum volo. Cap. 1. ſtatuitur *inconcuſſe* tenendas eſſe, ſeu obſervandas omnes illas *arctationes*: Cap. vero 4. diſpenſantur *omnia magis arctantia* præter ordinata cum Syndici conſtitutione &c., hoc eſt diſpenſantur omnes illæ *arctationes*. Quocirca etiam tu hæc duo capita vel ſimul committe, vel ne committas, ſimul concilia, ſi potis es. Nam utrobique nihil diſtinguitur, & nihil omittitur, ſed omnes indiſcriminatim vel præſcribuntur, vel ſubtrahuntur; ad hæc fere omnes cum rei natura pugnant, atque ſtare non poſſunt.

Ut igitur hic nodus ſolvatur, tria rationabiliter reſponderi poſſunt.

1. Quod illud, quod ſtatuitur, & ordinatur cap. 1., ordinatur proprie in perſona Fratrum, ſeu verba illa

for-

formant proprie solum Statutum quoddam Capitulare; ea vero *dispensatio* cap. 4. non est Fratrum, seu Capitularis, sed est Papalis, cum Fratres, seu Fratrum Capitulum super *arctantibus* Pontificiis dispensare non possit: unde ea *arctantia*, non obstante illa Capituli injunctione, remanent semper *dispensatione* per se Papali sublata.

2. Hinc consequens, per illud Statutum Capitulum consulere voluit puriori, perfectiori, & securiori observationi præcepti de pecunia, etiam admisso Syndico, & non obstante illa dispensatione, providens, ut illæ omnes *modalitates*, seu *conditiones*, tametsi a Papa *dispensatæ*, in praxi, quoad fieri potest, impleantur. Nec obstat illud adverbium *inconcusse*, quo quædam obligationis gravitas significata videtur. Etenim primo hæc foret obligatio tantum Capitularis, uti diximus, quæ & cessare potest, & jam Papalem *dispensationem* semper intactam relinquit. Tum constat, aliquando usurpari hujusmodi voces graves in Legibus, Constitutionibus &c., quibus tamen vel nulla, vel levis obligatio inducitur, sicuti liquet non solum ex Constitutionibus multorum aliorum Ordinum, sed etiam ex nostris ipsis Martinianis cap. 12., & Capistranis ut in Historia vidimus: & de omnibus aliis in communi jam patet ex Suppos. XIV.

3. Quod hoc Statutum intelligi, ac referri potest tantum ad illos, qui uti Syndicis nollent, sed privatis Amicis Spiritualibus, de quibus præcipue loquuntur Clemens, & Nicolaus, juxta quorum Declarationes cætera omnia decernuntur. Etenim neque Fratres ad Syndicorum usum adstringuntur, ut diximus præmonit. 8., neque illæ *arctationes* pugnant cum privatorum Amicorum Spiritualium usu, quin observari possint, sicut pugnant cum usu Syndicorum, uti demonstravimus.

Prob.

Prob. 4. Cum in Syndicorum Bullis nihil aliud dicatur, quam in *necessitates occurrentes*, *pro tempore*; si illæ duæ *modalitates*, nempe 2. & 4. per hæc verba non censentur sublatæ, profecto in iisdem verbis includi, atque significari necesse est. At hoc vel esse non potest, vel ad praxim nihil facit. Nam quod necessitas sive *stricta*, sive *accommoda* esse debeat vel *præterita*, vel *præsens*, vel *imminens*, & *determinata* (nam vera quæcumque supponitur esse) vel est idem cum hoc, quod sit *occurrens*, *pro tempore*, vel diversum. Si diversum; ergo hæ duæ *conditiones* sublatæ sunt, cum in Bullis tantummodo dicatur, & exigatur, quod sit *occurrens*, *pro tempore*. Si idem: igitur cum solum necessitas *occurrit*, & quotiescumque *occurrit*, simul erit semper *determinata*, & vel *imminens* &c., seu potius vere *præsens*; ideoque hæ *conditiones* cum necessitate *occurrente*, *pro tempore* semper conjunctæ erunt, ac consequenter practice semper implebuntur. Atqui necessitates *occurrentes*, *pro tempore*, antequam *occurrant*, non sunt neque *præsentes*, neque *imminentes*, neque *determinatæ*, sed *simpliciter*, & *indeterminate futuræ*; fiunt enim solum *determinatæ*, ac *præsentes* cum *occurrunt*. Ergo conceditur in Bullis *Recursus* ad pecuniam apud Syndicum pro necessitatibus *absolute*, & *indeterminate futuris*; nemo etenim *recurrit*, nisi cum *occurrit*; ac propterea eæ duæ *conditiones* vel sublatæ sunt, vel practice semper in observatione sunt.

Prob. 5. & ultimo generaliter Conclusio ex eo, quod cum omnia a Pontificibus Ordini concessa, permissa &c., in Bullis Pauli IV., & Pii IV. confirmentur, & iterum concedantur *etiam juxta ampliorem*, & *favorabiliorem illorum intelligentiam*, & *interpretationem*; *non obstantibus Apostolicis Constitutionibus quibuscumque*, *etiam in Conciliis editis*, *quibus expresse*, & *specialiter* quomodolibet derogatur; etiamsi super illarum *condi-*

tionum

tionum obligatione *intelligentia* , *&* *interpretatio* strictior, & odiosior habeatur, per hujusmodi verba prorsus evacuata, ac explosa remanet , modo *intelligentia* , *&* *interpretatio* contraria *amplior* , *&* *favorabilior* suis rationibus fulciatur , atque ideo absit a falsitate, ac temeritate. Et ita sane contingit in casu. Nam oritur dubitatio, num in Syndicorum forma a tot Pontificibus constituta, omnes illæ *conditiones*, seu *modalitates* , & *arctationes* sublatæ , ac dispensatæ censeantur. Ego affirmo sublatas, non temere , ut mihi videor, sed rationibus omnibus innixus, quibus id probavi; Tu negas sublatas. Mea opinio hoc est *intelligentia*, *&* *interpretatio amplior*, *&* *favorabilior*, tua strictior, & odiosior est. Igitur mea sententia ex unico hoc fundamento *reflexe* certa est, cum *directe* certum sit, omnia a Pontificibus concessa *amplius*, & *favorabilius* esse *intelligenda*, *&* *interpretanda*. Quod autem dicimus de hoc dubio super harum *arctationum* obligatione , idem de aliis dubiis, nempe de pecuniæ *Deposito*, *Incorporatione*, *Recursu*, *Licentia &c.* intelligendum est. Si hanc solam probationem Lector funditus penetret, latiusque diducat , comperiet & eam omnibus invictam esse , & ea sola principalem quæstionem præsentem cum omnibus annexis sine difficultate diremtam esse.

Cor. 1. Hinc omnes illæ *arctationes* ad præcepti substantiam neque quoad *Depositum*, aut *Recursum* , neque quoad *necessitatis* naturam , pro ut in Regula , pertinent, sed sunt puræ *modalitates*, & *circumstantiæ* Papales pro perfectiori, & securiori præcepti observatione. Nam si ad substantiam pertinerent , neque sublatæ , atque dispensatæ fuissent , sed cum Syndicorum forma consisterent, neque nos earum *dispensationem* acceptaremus, quemadmodum utendo ea forma acceptavimus , ut alias diximus, & infra magis dicemus.

Præ-

Præterea in quibus omnibus consistat essentia hujus præcepti de pecunia, ejusque recursu jam patet ex Supp. XVI. Atqui nihil illorum auferri per has *arctationes*, sed omnia, his de medio sublatis, sarta tecta remanere, quilibet hæc cum iis sigillatim conferendo per se manifeste cognoscet.

Atque hoc docent etiam Felix Potestas, Corduba, & Marchantius, & omnes Expositores dicere debent, si velint sibi cohærere. Hos laudo, ut appareat, me haud nova proferre.

Itaque Felix Potestas Tom. I. Exam. Confes. p. 2. pag. 122. n. 1158. postquam recensuit *conditiones*, seu *modalitates* hujusmodi ait. *Recensitæ septem modificationes* (nam septem tantum numerat, inter quas est illa principalis &c.) *sunt præscriptæ in Declarationibus Nicolai III., & Clem. V., ac in Declarationibus Mart. IV., & V.*; (hic fallitur Auctor, nam in hisce declarationibus non inveniuntur sicut in illis Clem., & Nicol., ut ex Historia liquet, nisi si *præscriptas* intelligat in ea generali parenthesi, de cujus sensu affatim suo loco) *& non obligant in conscientia ita, ut transgressio sit contra quartum præceptum Regulæ* (nota bene), *nisi ille, ex quarum defectu sequitur, quod Frater aliquod habeat dominium, aut usum pecuniæ per se, vel per interpositam personam*. Quod si hoc dixit, etsi putavit ab omnibus iis Pontificibus fuisse præscriptas; quid dicturus fuisset, si advertisset, nec a Mart. IV. aut V. *expresse* præscriptas, neque ab aliis subsequentibus, quin a Paulo præcipue IV., & Pio V. omnes de industria omissas.

Corduba Expos. in Reg. cap. 4. q. 17. pag. 247. *Secundo*, inquit, *probatur idem. Quia ibi non dispensatur* (loquitur de Syndicis juxta Martinianam, & præsertim de eo, quod sint ipsis omnes eleemosynæ consignandæ) *circa substantiam præcepti Regulæ prohibentis*

bentis pecuniæ receptionem, *sed solum circa aliquas* circumstantias, *seu* modificationes, *ad quas Fratres ex Regula*, *vel Declarationibus tenebantur* (nota bene hoc, nempe nos potuisse teneri ex Pontificiis declarationibus ad aliquas circumstantias, post amplius non teneri ad eas utpote dispensatas, non dispensata tamen præcepti substantia) *ad puram perfectamque illius præcepti observationem*, (nota ad quid, & propter quid Fratres teneri potuerint, aut possint), *ad quarum omnium* modificationum *observantiam non tenentur Fratres semper sub mortali peccato*, *etiam sine dispensatione* (nota etiam hoc) *nisi quando alias per Regulam sub mortali fuerit injunctum .... Et licet* (sibi quippiam opponit) *declaratum*, *& declaratio sint idem*, *quando est proprie declaratio*, *seu interpretatio sensus in Regula latentis*, *non tamen quando est* modificatio, limitatio, *seu* restrictio *Papalis supradicta ad meliorem præcepti conservationem*, *ut communiter dicunt ....* (nota bene omnia). *Et sic fit in proposito per Declarationem Nicolai III.*, *& Clem. V.*, *ubi sine præcepto ponuntur multæ* modificationes, & limitationes *Papales quoad pecuniam*.

Et pag. 254. primum ponit casus, in quibus juxta Martinum Syndico utentes dispensantur, qui sunt. 1. quod pecunia apud ipsum deponitur, stat, & tractatur nomine Sanctæ Sedis, & non Dantis, qui propterea postquam absolute consignavit, non potest eam amplius revocare. 2. quod Fratres Dantibus pecuniam, quicumque sint, possunt absolute dicere, date si vultis Syndico. 3. quod Syndicus tenetur pecuniam expendere non ad libitum suum, sed ad dispositionem, ac voluntatem Fratrum. Postea ait. *His igitur tribus supradictis casibus tantum exceptis*, *in quibus secundum Martinum Syndico utentes dispensati sunt*, *in aliis omnibus tenentur Fratres* (nota bene in his verbis conti-

neri

neri omnes alias *modificationes*) *vivere secundum Declarationem Nicol. III., & Clem. V., aliquando quidem sub mortali, aliquando autem sub veniali, aliquando vero sub aliqua pœna temporali .... Ad quæ omnia oportet meminisse, non esse formaliter, & proprie contra Regulæ Declarationes, aut contra ipsam Regulam id, quod est contra Papales Declarationes* (nota bene) : *sed neque omnes tales* modificationes *semper sub mortali peccato obligare, ut supra dictum est*.

Marchantii locus in hanc rem habetur Suppos. X. Eum relege si lubet.

Sed quid plures ex nostris Auctores quærimus, cum unum habeamus, qui valet pro omnibus, utpote qui testatur de omnibus? hic vero est P. Dominicus de Gubernatis Strictioris Observantiæ, qui Tomo I. Orbis Seraphici pag. 510. loquens de Syndicis n. 7. hæc habet.

Nicol. III. in sua Decretali Exiit qui seminat, inquit, *& Clem. V. in sua* Exivi de Paradiso, *Regulam Minorum cum omnimodo rigore, & ad verissimam* Legislatoris mentem *integerrime, atque sine ullo privilegio* (hic utitur nomine *privilegii* in latissima significatione) .... *necessitates diviserunt in veras, præsentes, aut actu imminentes* ex una parte, *& in possibiles, aut quomodocumque futuras ex altera &c.* Post n. 8. prosequitur.

His suppositis declararunt, & definierunt nullo modo licere Fratribus eleemosynas superfluas, sive ad possibiles, & quomodocumque futuras necessitates recipere, multo minus procurare illæso paupertatis altissimæ Voto, quia hoc sapit thesaurizationem, & paupertati nimium derogare videtur, sed tantum pro veris, præsentibus, aut actu imminentibus necessitatibus salva, & tuta conscientia valeant mendicare. Deinde consequenter docet quid possint, quidve non possint Syndici primo instituti juxta formam harum Nic. III., & Clem. V. Constitutionum.

Num.

Num. vero 9. ait. *Martinus IV.*, *& Mart. V.*, *aliique infra citandi Syndicorum hujusmodi facultatem extendentes concesserunt, ut qua tales, idest Apostolicæ Sedis nomine eleemosynas quascumque, sine prædictis restrictionibus* (nota bene), *Fratribus oblatas, seu testamento legatas recipere, & in judicio repetere, vel defendere, Fratrumque necessitatibus* (*nulla facta necessitatis distinctione*, nota iterum bene) *applicare valerent. Unde in Statutis Martinianis, quæ scilicet in generalissimo Assisiensi Capitulo, per Legatum Apostolicum publicata .... & a Mart. V. confirmata fuerunt*. Hic refert verba horum Statutorum, quæ nos suo loco integre dedimus, eaque cohærenter & intelligit, & explicat eodem modo, quo nos alias & intelleximus, & explicavimus, nempe de dispensatione per Mart. V. facta omnium prædictarum restrictionum. Postea ex aliis Pontificibus, ac generalibus Ordinis Statutis ostendit, Syndicos juxta hujusmodi formam non esse contra Regulæ puritatem, aut in Regulæ dispensationem.

Et nu. 12. *Syndicos itaque*, sequitur, *in prima, & magis rigorosa Nicol. III., & Clem. V. acceptatione* (fortasse *acceptione*) *primo habemus; deinde per Mart. IV., & V. citra hujusmodi rigoris apices* (nota iterum bene), *sed non contra Regulæ puritatem; tertio tandem cum ampliativa dispensatione per Sixtum IV. &c.*; hoc est pro Conventualibus.

Pag. vero 516. nu. 14. refert Statuta Generalia Segobiensia de anno 1621. recipientia, & approbantia Syndicos juxta hujusmodi formam, & hæc cohærenter ad hanc inter alia, quæ ordinat, ac statuunt, hæc habent. Et quia, inquiunt, *juxta Regulam, & ejus Apostolicas Declarationes eleemosyna pecuniaria quomodolibet oblata pro necessitatibus sive communibus, sive particularibus* (nota) *subveniendis, non potest nisi apud Syndicum, sive ejus Substitutum deponi, ac per eorum*

manus duntaxat expendi , præcipimus , ut Guardianus &c.

Et pag. 518. nu. 17. *Omnia igitur*, inquit, *in compendium redigendo, Apostolicos hujusmodi Syndicos in triplici differentia ex communi Doctorum consensu* (nota hoc peculiariter) *reperiri confitemur; quorum primus in maximo rigore, ut supra declaratum est* (nota) *a Nicol. III., & Clem. V. fuit designatus ; ad quem strictioris observantiæ Professores ex ipsa sui institutione per Clem. VII., & VIII., aliorumque Pontificum Decretales simpliciter obligentur.* (nota etiam hoc specialiter) *Ad ampliora se se protendit secundus per Mart. IV., & V. institutus, salvo tamen, ut census proventus &c. nomine proprio juridice possidere non valeant, qui Observantibus etiam in puritate Regulæ viventibus per Urb. VIII., & Innoc. XI. Constitutiones expresse conceditur &c. Tertius omnino amplissimus .... a Sixto IV., & Julio II. stabilitus &c.*, hoc est pro Conventualibus.

Denique pag. 542. nu. 5., ubi dixit, Apostolicas Declarationes Nicol. III., & Clem. V. fore cæteris præferendas, subdit. *Ad harum Expositionum exactissimam observantiam, utpote quæ sine ullo privilegio* (de hoc vocabulo recole superius dicta) *Regulam mere litteraliter declarant, a prima sui institutione Fratres de strictiori Observantia sine ulla exceptione* (nota bene) *obligantur. Jamque ipsi etiam de Observantia Regulari, reservato tamen Syndici Apostolici usu in Martinianis declarato* (nota iterum) *ut suo loco per Urb. VIII., & Innoc. XI. explicavimus.*

In hoc præclaro de Gubernatis testimonio septem continentur. 1., Fratres Minores Observantes utentes Syndicis juxta formam Mart. IV., & V. (adde adhuc magis Pauli IV., & Pii IV.) & juxta Declarationem Innoc. XI., non teneri amplius ad Decretales Nic. III., & Clem. V. quoad eas restrictiones, ac modalitates

tates pro recursu ad pecuniam, atque necessitatis natura; bene vero cæteras Congregationes strictiores. 2. hoc esse jam aperte dispensatum, ideoque decisum a Mart. V. in Martinianis Constitutionibus in ipso calore Reformationis Ordinis. 3. hanc non esse veram dispensationem contra Regulæ puritatem. 4. hoc esse declaratum, decisum, atque acceptatum præter alia etiam a Constitutionibus generalibus Segobiensibus 1621. 5. consequens, posse nos tenere apud Syndicum pecuniam indifferenter pro necessitatibus vagis, ac indeterminatis, & utcumque futuris, atque possibilibus, hoc est permanenter, ac diu, atque adeo nos non teneri amplius ad nos committendos divinæ Providentiæ juxta sensum Nicol. III., & Clem. V., excepta magna pecuniæ copia, seu divitiis, atque thesaurizatione. 6. posse teneri apud Syndicum pecuniam modo præfato tam in communi, & pro communi, quam in particulari, & pro particularibus, quod est sive incorporatam, sive aut *materialiter*, aut *formaliter* excorporatam, ac separatam. 7. tandem, quod omnibus majus hoc loco est, hanc esse communem omnium Doctorum nostrorum sententiam. Itaque Lector hoc solo testimonio quæstionem principem, quæ in manu est, ita certo decisam, ac diremtam habes, ut hoc uno argumento ab auctoritate desumto contentus, cætera omnia possis, si velis, præterire.

Cor. 2. Hinc illæ *arctationes*, & præsertim 2. & 4., etiamsi non forent sublatæ, ut ostendimus, tamen non obligant sub mortali, quia per nullam illarum præcepti substantia tollitur ex Suppos. XVI., neque transgressio ejusdem, earum omissione extra totam illius latitudinem fit, ut consideranti patebit: quod ad mortale requiritur ex Suppos. IX., & X.

Cor. 3. Hinc, nempe ex Concl. 2., præsertim ex prob. 3., omnes illæ *arctationes*, & præcipue 2. & 4.

etiamsi ad præcepti *substantiam*, & ad *necessitatis* rationem pertinerent, imo licet etiam sub gravi obligatione essent, tamen in praxi cum necessitate conjunctæ sunt, ita ut earum observatio practice semper habeatur. Etenim ut, præter alibi dicta, aliquid latius, & ad praxim accommodatius dicamus, *necessitas*, pro qua recursus fieri potest, non *stricta*, ac *limitata*, sed *divisibilis*, *accommoda*, & *latior* est ex Suppos. XIX., eo sensu, quo in Animadversione satis explicavimus: ubi etiam notavimus, judicium de *necessitate* sive ex parte Superiorum, sive ex parte Subditorum potissimum a prudentiæ, ac probitatis regulis pendere, ideoque sub prudentum, ac proborum virorum opinione esse; ex quo fit, ut ad illos pertineat *necessitates* in praxi *occurrentes* determinare. Nam, ut ad praxim veniamus, jam constat ex Suppos. XX., quæ, & quanta sint, quæ Fratribus in commune subministrentur, sicuti pariter constat, quibus, & quantis indigere, attentis circumstantiis omnibus, possint. Nunc omissis strictis necessitatibus, quæ identidem, supposita hac tantum communi subministratione, occurrunt; sit v. g. Lector, aut Prædicator, aut in dignitate constitutus, aut senex, qui præ labore, debilitate, aliave rationabili, ac honesta causa indigeat pluribus, quæ a Communitate nec subministrantur, nec ipsi subministrari possunt, v. g. quotidiano aliquo ferculo, præcipue jejuniorum tempore, quo tantum duntaxat cibi ad prandium alicubi solet sumi, quantum non ad famem expellendam, sed ad naturam solum, ne succumbat, sustentandam satis est; vel vino generoso; aut sumtione aliqua quotidiana alicujus cibi, aut potus ad stomachi consortationem, studiorum continuationem, sui relaxationem: verbo aliquid quomodolibet (nam omnia hæc minuta persequi, quæ in praxi usuvenire possunt, superfluum est) insumere in sui, vel confratrum *moderatam*, & *honestam*

uti-

utilitatem, *commoditatem*. Is autem non habeat, aut habere possit alios pecuniæ proventus, quam qui ex Prædicatione, v. g. Quadragesimali, vel Annuali, vel plurium Missarum per unam tantum vicem stipendiis coalescere possunt vix pro suis necessitatibus in annum permansuri: (vide, num permittam peculium ad *copiam*, ad *divitias*, & cum omnimoda providentiæ exclusione in futurum; & an sit facile Fratribus multas pecunias congregare:) hique proventus, cum identidem obveniunt, apud Syndicum reponantur. Nunc hoc exemplo ad singulas eas *conditiones*, seu *modalitates* faciliter per te applicato, sed præcipue ad 2., & 4., de quibus, ut sæpe diximus, major difficultas esse potest, comperies, aut cum illo in praxi componi non posse; aut potius cum illo semper conjunctas esse, quippe quia *necessitates* hujusmodi, cum *occurrunt*, fiunt *determinatæ*, & *præsentes*, & *occurrunt*, cum a Fratris prudentia, ac probitate ex vera, ac rationabili, & honesta causa determinantur, ut in exemplo est explicatum.

Corollaria primum, & tertium hujus secundæ Conclusionis in prima Editione sunt Conclusiones I., & II.

ANIMADVERSIO.

QUoniam ex eo, quod superius in exemplum *potus alicujus quotidiani sumtionem ad stomachi confortationem* &c. commemoravi, Adversarius pag. 74. intulit, me de chocolatæ potu, aut similium intellexisse (imo dixit, me ad hoc *hortari*: qua fide, Lector ex meis verbis dijudicet), idcirco non abs re erit, etiam de hoc aliquid dicere, meque ab ejus nota quodammodo vindicare; videtur enim ille mihi ita mecum expostulare. Quid tu laxissime? an Minoribus Fratribus etiam Caffè, chocolatam, aliasque id genus de-

litias sine ulla religione permittes? non perspicis quantum id absit a minoritica paupertate?

Bona verba quæso. Etenim dic mihi primum sodes, Chocolata est ne ex iis rebus, quarum *arctus* tantum, ac *pauper* usus sit nobis in Regula specialiter præscriptus, atque a Clemente V. peculiariter ceu talis declaratus? minime sane, ut certo constat ex Suppos. XIIX. Est ne contra paupertatis commune Votum? ne id quidem, Ita enim Regularium nemo uti ea posset. Est ne contra temperantiæ virtutem communem cæteris Christianis omnibus? hem! quis istuc sibi somniet? *Moderatus* igitur illius usus Minoribus etiam Fratribus erit permissus, quandoquidem *moderatus* & *honestus* rerum aliarum usus, exceptis *arctis*, ac *pauperibus* usibus in Regula præscriptis, atque per Clementem declaratis, ac decisis, neque ex Regula, neque ex paupertatis Voto, neque ex temperantiæ virtute iis ex præcepto vetitus est. Existimo enim, Fratrum neminem aut velle, aut posse apothecam hujuscemodi delitiis instructam ac refertam habere. Neque vero ab hac sententia de *moderato* chocolatæ usu idem ipse recens Auctor P. Gabriel Angelus alias laudatus in sua Italica Regulæ Expositione omnino dissentit. Nam licet pag. 114. improbet recursum ad pecuniam pro hac re, pag. tamen 185. videtur ejusdem acceptationem, modo non fiat in notabili quantitate, permittere. In quo tamen etiam hæc notanda sunt: & quod ibi recursum improbat, si fiat *più per soddisfare alla delicatezza, e alla gola*, ut ipse dicit, *che per provvedere alla necessità*; & quod hic, sicuti & alibi statuit, æqualiter judicandum de rebus per pecuniam procuratis, atque quovis alio modo acceptatis, ita scilicet, ut eæ haberi licite, iisque uti non possit, si quoquo modo sint pretiosæ, superfluæ, statui denique minime convenientes; & quod ipsemet doceat, nos non teneri ad

alios

alios usus *arctos*, ac *pauperes*, quam qui in Regula præscribuntur; ut alio loco diximus. Ex quibus omnibus fit consequens ex ejusdemmet sententia, chocolatæ *moderatum* usum sive *acceptatæ* in specie, sive per pecuniam procuratæ licitum esse, cum hujus usus non sit in Regula exceptus, & inhibitus, ut supra diximus.

Deinde *necessitati* rationem, pro qua ad pecuniam recursus fieri potest, ex infinitis propemodum circumstantiis esse desumendam, ex multis Pontificiis monumentis tum generatim pro omnibus Regularibus, tum speciatim pro nostris editis in Historia plane constat. Sumamus nunc nos tantum duas, nempe circumstantiam *personæ*, & *Regionis*, præsertim quia ipsi quoque Pontifices Paulus V., & Urb. VIII. hujusce etiam secundæ circumstantiæ, ubi ordinarunt Regulares *commode* esse providendos, rationem esse habendam voluere. Da igitur nunc mihi *Regionem*, in qua chocolatæ potus communiter in more sit: da personæ dignitatem, ætatem, debilitatem, munera, studia, labores &c. & affirma, si vales, a Fratribus Minoribus in his *necessitatis* circumstantiis *moderatum* hujusce potus usum licite haberi non posse. Hæc sola nunc sufficiunt ad hoc, ut appareat, quæ ex nimio zelo, ut plurimum effunduntur, non semper cum veritate concordare Cæterum hæc, & similia in praxi determinare, non ex aliqua certa regula, sed ex prudentia pendet; & nos etiam id tetigimus, non ut consuleremus, sed solum, ut quodammodo ab Adversarii censura etiam super hoc nobis inusta, ut prædiximus, vindicaremur.

DILUUNTUR OBJECTA.

PRæter ea, quæ in Adversarii responsionibus præoccupavimus, alia quædam graviora diluenda sunt,

quæ ex ejus Libello generaliter etiam, & utcumque desumi possunt. Dico utcumque, quia apud ipsum fere omnia confusa, ut sæpe dixi, & perturbata sunt, un de formam, & efficaciam oppositionis non habent. Quare nos ea non solum afferemus, sed etiam vim iis, ac robur, quo penes ipsum carent, adijciemus, ut perspiciat, difficultates a me non dissimulari.

Itaque contra principalem secundam Conclusionem, ejusque omnia Corollaria hæc facere possunt.

1. Clemens V. ff. *Porro* aperte dicit, Fratres recurrentes ad pecuniam *pro aliis causis*, *& sub aliis modis*, quam ponit Declaratio Nicolai, *transgressores præcepti*, *& Regulæ merito dici posse*, idque repetit ter. Ergo omnes illæ *modalitates* ad præcepti, & necessitatis substantiam pertinent, sub gravi obligant, & in praxi servandæ sunt.

Confirmatur 1. Etenim *ubi aliquid alicui generaliter probibetur*, *quod expresse non conceditur*, *intelligitur denegatum*, ut idem asserit ibidem afferens rationem decisionis, & declarationis suæ. A Nicolao autem generaliter prohibentur opposita illis *modificationibus*, seu eæ *modificationes* generaliter præscribuntur; a cæteris vero Pontificibus *expresse* ea opposita non conceduntur: igitur omnia denegantur.

Conf. 2. Nam Clementinæ Decretali, utpote Conciliari, atque in Juris corpore positæ, ut vel dispensetur, vel vim amittat, *expresse*, & specialiter derogari debet, neque ideo sufficit silentium, vel omissio.

2. Ordo non acceptavit, aut acceptat ullam *dispensationem* super aliquo præcepto, si qua facta est, imo profitetur se velle observare Regulam *ad præscriptum Declarationum* Nicolai, & Clementis, & Innoc. XI. hoc idem teneri Fratres observare declaravit, & omnem *dispensationem* abrogavit. Igitur etiamsi illæ *modalitates* forent a Mart. V., aut ab aliis Pontificibus dispensa-

tæ,

tæ, aut ſublatæ, nunc tamen adhuc in vigore, & obligatione ſunt.

3. Syndici Apoſtolici ſunt veri Amici ſpirituales ſecundum Regulam: ad illos ergo recurrere debemus iiſdem modis, quibus recurrimus ad Amicos ſpirituales. At ad iſtos recurrere niſi cum iis *modis* non poſſumus; proindeque neque ad illos.

4. Omnes noſtræ Conſtitutiones poſt Nicolaum, & Clementem factæ; etiam Sambucanæ, quæ poſt Paulum IV., & Pium IV. editæ ſunt eam præcipue *modalitatem* de neceſſitate vel *præterita*, vel *præſenti*, vel *imminenti* præſcribunt. Nam cap. 4. pag. 22., n. 14. dicunt. *Nullus ad pecuniam recurrat; niſi exiſtente vera præſenti, vel imminenti neceſſitate propria*. Et quod majus eſt in calce addunt. *Qui aliter* (nota bene) *pecuniam habuerit, vel expenderit, in pœnas proprietariorum incidat*. Proprietarius vero, niſi qui contra Voti, aut præcepti ſubſtantiam committat, profecto eſſe non poteſt.

Conf. Ad Superiores namque per ſe ſpectat & judicium de neceſſitatibus, & conceſſio licentiæ ad hoc, ut recurſus ad illas legitime fieri poſſit. Quare ſi hi judicaverint, *neceſſitates* eſſe debere tantum vel *præſentes*, vel *imminentes* &c., atque licentiam non conceſſerint recurrendi, niſi pro *neceſſitatibus* hujuſmodi, pro aliis, vel alio modo recurſus licite fieri non poterit. Utrumque autem per hoc Statutum a Superioribus cautum eſt. Jam vero hoc *Judicium*, & hæc Licentia ad Voti, ac Regulæ eſſentiam pertinent ex Suppoſ. XV.

5. Denique Expoſitores omnes; (etiam illi tres ipſi, qui ſupra pro nobis allati ſunt) qui poſt non ſolum Nicolaum III., ac Clementem V., ſed etiam qui poſt Mart. IV., & V., cæteroſque, imo qui poſt Paulum IV., & Pium IV. ſcripſere, eam præſertim *modalitatem* de *neceſſitatis præſentia*, vel *imminentia* requirunt: quod argu-

argumento est, eas *conditiones*, sed præcipue istam ad præcepti Regulæ, atque necessitatis substantiam pertinere, ideoque ad praxim sub gravi obligatione esse. Quid est enim hoc aliud, quam de illis præceptum extare?

R. Generaliter primo, omnia hæc & consimilia, si quæ afferri possint, argumenta, nihil facere contra principalem assertionem meam, quæ est de *Deposito peculiari* pecuniæ apud Syndicum, pecuniæ, inquam, undecumque provenientis, dominio prorsus abdicatæ, atque in Pontificis proprietatem translatæ modo toties explicato, atque firmato. Etenim etiamsi omnia vera forent, ac vim haberent, haberent contra *Recursum*, non contra *Depositum*, & comparate ad privatos, vagosque Amicos spirituales, non ad præsentes Syndicos, de quibus Nicolaus, & Clemens non loquuntur, ut acriter superiora consideranti, & simul conferenti patescet.

R. Secundo pariter generaliter, hæc omnia, & hujuscemodi alia objecta etiam ab ipsomet Censore, & ab aliis oppositoribus esse necessario solvenda. Semel enim ac constiterit omnibus, eas *modalitates* fere omnes cum Syndicorum forma, atque constitutione neque quoad *Depositum*, neque quoad *Recursum* consistere, & conciliari ullo modo posse, quod nos effecisse putamus, omnibus, nempe tum nobis, tum aliis incumbit; quæ in contrarium afferuntur, propulsare. Quare etiam alii tenentur ostendere, quomodo cum hoc desumta in his objectionibus ex Pontificibus, Statutis, Expositoribus &c. salvari possint.

R. peculiariter: & quidem ad I. tripliciter. Primo Argumentum cum prima Confirmatione concedi posse respective ad eas Congregationes, & Familias, ad quas fit allusio in Bulla Innoc. XI. uti ex Suppos. XII. Cum enim hæ nolint uti Syndico secundum Martinia-

nam,

nam, & Paulinam Diſpoſitiones, ſed puris Amicis ſpiritualibus, vel Syndico diminute tantum juxta Diſpoſitiones Nicolai, & Clementis, obligant ſe ad harum præſcriptum, ideoque ad eas omnes *modalitates* (ſuo tamen etiam in his modo) tenentur, quæ juxta has Diſpoſitiones locum in re habere poſſunt. Secus eſt de nobis, qui Martiniana, & Paulina Diſpoſitionibus utimur. Quod adeo verum eſt, ut Expoſitores omnes paſſim fateantur, etiam quod eas nonnullas *modalitates*, quas pro nobis indubitanter ſublatas admittunt, Reformatos; Diſcalceatos &c. in conſcientia obligari.

Secundo reſp. retorquendo argumentum. Si omnes *modalitates* ad præcepti; atque neceſſitatis eſſentiam pertinent, procul dubio *æqualiter* pertinent, quia omnes iiſdem verbis, eademquæ præſcriptionis forma generaliter a Clemente, & a Nicol. præſcriptæ ſunt: quod liquet ex ipſa locutione in objectione allegata *pro aliis cauſis*, *& ſub modis aliis*, *quam &c.*, quâ univerſaliter *modalitates*, & *conditiones* omnes ſignificantur. Igitur earum qualibet ſublata; ſeu non obſervata tollitur ſubſtantia præcepti Regulæ. Igitur falſum in primis quod aſſerit Felix Poteſtas, ut ſupra, nempe non omnes ad ſubſtantiam pertinere; ideoque *non obligare in conſcientia*: falſum quod Corduba, & Marchant., aliquas etiam ex *non diſpenſatis* obligare *ad mortale*, aliquas *ad veniale*, aliquas etiam tantum *ad pænam*; & aliud eſſe *explicationem* veram Regulæ *Papalem*, aliud *reſtrictionem*, ac *limitationem* pure *Papalem* &c. Sed hoc parum eſt. Deinde ergo earum quaslibet diſpenſata, diſpenſatur ſubſtantia ipſa præcepti. Ergo a Mart. IV., & V., & a Paulo IV., & Pio IV., qui per Syndici inſtitutionem nonnullas ſecundum omnes certo diſpenſarunt; præcepti ſubſtantia diſpenſata eſt. Igitur Ordo, qui Diſpoſitiones horum Pontificum acceptavit, diſpenſationem in ſubſtantia capitalis

lis præcepti acceptavit. Imo, quod magis est; & S. Joann. a Capistrano hujus præcepti substantialem dispensationem procuravit, & ordinis reformatio, pro qua tantopere adlaboravit, præcepti istius destructionem produxit: & Innoc. XI. eas Dispositiones confirmando, quin etiam juxta Regulam, ejusque puriorem observationem esse declarando, dispensationem præfatam ne dum acceptavit, verum etiam & confirmavit; & puriorem Regulæ esse observationem declaravit. Atqui Ordo neque ullam dispensationem super aliquo Regulæ præcepto (utique in substantia) & multo minus super præcepto de pecunia acceptavit; imo oppositum protestatus est; neque Innoc. XI. confirmavit, quin & contrarium declaravit, & omnem dispensationem abrogavit ex Suppos. XII. Ergo *modificationes* ab iis Pontificibus sublatæ procul dubio ad præcepti essentiam non pertinent; ideoque vel non omnes *modificationes* præscriptæ a Nicolao, & a Clemente inculcatæ, vel non *æqualiter* ad præcepti substantiam spectant, quamquam iis non observatis, dicantur Fratres generaliter a Clemente *Regulæ, & præcepti transgressores*. Quare verba Clem. non *absolute*, & omnino *rigorose*, sed *comparate*, & interpretatione rationabili intelligi, ac explicari necesse est. Nam verba posita in Lege, vel Constitutione debemus conformare æquitati, licet verba hoc non patiantur, ut Extr. de Rescriptis c. cam., & de Consuet. c. cum dilectus. Et ut dicit S. Hilarius *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus* de verb. signif. c. *intelligentia*. *Nam plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur*, ut in c. *præterea* eod. tit. Et ibidem glo. notabilis dicit, *quod verba a sua significatione cadunt, cum res salva aliter esse non potest*.

R. Igitur tertio distinguendo, & explicando primam;

mam, & secundam partem antecedentis. Recurrere *pro aliis causis, & sub aliis modis* distributive, seu quoad aliquos, conc. p. p: collective, seu quoad omnes, nego p. p: sunt *transgressores regulæ, & præcepti*; in substantia quoad aliquos conc. 2. p: quoad omnes, subdistinguo, eodem modo nego, diverso modo, transeat 2. p., vel etiam conc. Hujus responsionis sub distinctione forma ex doctrina Felicis Potestatis, Cordubæ, & Marchantii superius tradita; atque ex proxima secunda responsione desumta est. Ex ea namque doctrina constat, quasdam esse in Declarationibus Nicolai, & Clementis veras regulæ, & præcepti *explicationes*, quasdam *modificationes, limitationes, restrictiones* mere *Papales ad puram, perfectamque præcepti observantiam*, & *conservationem*; quasdam propterea ad præcepti *substantiam*, quasdam tantum ad *circumstantias* pertinere; quasdam idcirco obligare *sub mortali*, quasdam *sub veniali*, quasdam *sub sola pœna*: ut propterea Fratres non possint esse *quoad omnes*, & *eodem modo*, sed solum *quoad aliquas*, & *diverso modo*, *regulæ, & præcepti transgressores*. Item ex proxima secunda responsione constat, omnes *modificationes* positas a Nicolao non posse de præcepti essentia esse, cum quamplurimæ per Syndicorum Institutionem remaneant indubitanter sublatæ. Itaque multæ quidem sunt *conditiones, modificationes*, quas circa pecuniæ præceptum Nicolaus præscripsit, & Clemens rursus confirmavit, & inculcavit, sed non omnes ad illius essentiam pertinent, aut eodem modo, neque pertinere absolute possunt. Illæ omnes pertinent *stricte*, ac *proprie* ad præcepti substantiam, ideoque vere, & graviter obligant, quibus vel *explicite*, vel *implicite* efficitur, aut inde consequitur, ut illis non observatis, *proprie* pecunia per se, vel per interpositam personam recipiatur, vel jus, possessio, proprietas circa illam habeatur, atque in trans-

gres-

gressione extra totam præcepti latitudinem exeatur; item pro *superfluitatibus* &c., non pro veris necessitatibus *recurratur*: illæ vero non *ad substantiam*, sed tantum ad *circumstantias* spectant, quibus efficitur, aut inde consequitur, ut vel pecunia non recipiatur &c. ut supra, vel nullo modo, aut leviter extra præcepti latitudinem exeatur, sicque transgressio vel nulla, vel levis fiat; vel ut purius, ac securius præceptum observetur, & in sua observatione conservetur. Primæ *conditiones*, *modificationes* sunt *essentiales interpretationes*, & *explicationes* præcepti *Papales*, secundæ vero *limitationes*, *restrictiones*, *arctationes accessoriæ*, & *accidentales* tantum mere *Papales*, quæ proinde tolli, atque cessare possunt. Et hujusmodi omnes *modalitates* illæ, de quibus in præsentia quæritur, sunt. Quapropter verba illa *regulæ*, *& præcepti merito transgressores*; *& summopere cavere debent, ne pro aliis causis*, *& sub aliis modis*, *quam &c.*, non de transgressione *absolute*, *& stricto modo* tantum sumta, sed de transgressione etiam *latiori modo* accepta, & *comparate* ad has, vel illas *modificationes*, ad levem, vel gravem, vel pænalem obligationem, ad essentialem, ac necessariam, vel puriorem, ac securiorem observationem, juxta superius tradita, intelligenda sunt. Si tu quoque Lector omnia acute speculabere, per hanc responsionem optime solvi argumentum cognosces.

Ad Conf. primam resp. dupliciter. Primo illud axioma (de quo plura dici possent, sed in re præsenti non est opus) in subjecta materia etiam ab Adversariis explicari, ac solvi debere, cum constet *absolute*, & *simpliciter* verum esse non posse. Etenim constat, non esse *denegatum*, ut fere omnes illæ *modificationes* sint dispensatæ, vel sublatæ, quamquam id non *expresse concessum*. Ubi enim in Syndicorum Bullis *expresse conceditur*, ut sine iis *conditionibus*, vel earum aliqua ad

pecu-

pecuniam recurratur? & tamen juxta omnes saltem earum multæ certo sublatæ sunt; idque non alia profecto ratione, nisi quia cum Syndicorum forma ex rei natura compati non possunt, & quia ideo prorsus omissæ sunt. Quocirca illud axioma ita non irrationabiliter distinguendo explicari potest. *Ubi aliquid generaliter &c., quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum: expresse* vel *formaliter*, seu *verbis formalibus*, vel *virtualiter*, seu *verbis*, aut *re equivalentibus* concedo; solum *formaliter* nego. Etenim illæ *modificationes* per Syndicorum formam *virtute* censentur *non denegatæ*, seu sublatæ, ac dispensatæ, ut toties diximus.

R. secundo, axioma intelligi debere ad normam distinctionis in tertia responsione ad 1. datæ: nempe intelligi *denegatum quod expresse non conceditur*, non *absolute*, & *simpliciter*, sed *respective*, & iis *modis*, quibus in generali prohibitione continetur. Unde cum in illa generali prohibitione, seu præscriptione earum *modalitatum*, hæ prohibitæ, seu præscriptæ censeantur eo respectu, & iis variis modis supra explicatis, iisdem modis, ac respectu eodem intelligi debent *denegata*, si *expresse* non concedantur.

Ad secundam confir. dico Clementinæ fuisse *expresse*, & *specialiter* quoad istas *modalitates* tum a Mart. V. per ea verba in Martinianibus Constitutionibus existentia: *in omnibus autem, quæ ultra hoc magis arctarent Fratres sive ex Declarat. Clem. V. &c.*: tum a Paulo IV., & Pio IV. per illa: *non obstantibus Apostolicis Constitutionibus quibuscumque, etiam in Conciliis editis* (nota), quæ supra suo loco retulimus, derogatum. Nam in hac generali clausula indigitari, si de iis *modalitatibus* sermo sit, Concilium Viennense, in quo Decretalis Clementis edita est, nemo non videt. Imo id nihilominus intelligeretur, etiamsi tantum peculiariter diceretur *in Concilio*, cum nullum aliud,

præ-

præter Viennense, ea de re Concilium reperiatur, sicuti in consimili derogationis casu exemplificat Bened. XIV. Lib. 9. de Synodo Diœces. cap. 4. n. 7. Præsertim etiam quod *ut Papa deroget Concilio, non est necesse, ut expresse faciat ejusdem mentionem, sed satis est, ut statuat aliquid, quod* Concilii *decretis adversetur*, quemadmodum ille idem his conceptis verbis docet ibidem loquens de Concilio Tridentino, ut supra probavimus. Ex qua doctrina mirum in modum confirmatur tota secunda Conclusio mea, simulque denuo omnino subruitur id, quod habet Censor cap. 17. pag. 62., ut suo loco retulimus, quandoquidem tot Pontifices per Syndicorum institutionem, Nicolai, & Clementis hac de re *decretis* si *expressa mentione* non *derogarunt*, *aliquid* tamen, *quod* iis *adversatur*, ut ostendimus plusquam satis, *statuerunt*.

Ad 2. Quomodo intelligendum sit, Ordinem non acceptare ullam dispensationem, ac velle vivere juxta Nicolai, & Clementis Declarationes, jam patet ex Animadversione Suppos. XII. quare acceptando dispensationem super iis *circumstantiis*, seu *modalitatibus*, nihil dispensationis contra institutum acceptat. Unde potest in forma argumentum ita distingui. Ordo protestatur observantiam Constit. Nicol., & Clem. *tantum* nego; simul cum acceptatione Constit. Mart. IV., & V., Pauli IV., & Pii V., concedo. Cum Ordo acceptaverit omnes istas Constitutiones, omnes simul conciliandæ, & componendæ sunt. Quamobrem cum illæ *modificationes* per dispositiones Mart. IV., & V., Pauli IV., & Pii IV. censeri debeant sublatæ, cum in illis dispositum sit quod iisdem *conditionibus*, ut ostendimus, *adversatur*, consequitur evidenter, & quod Ordo non intendit protestari observationem earum *conditionum*, & quod earum dispensatio non sit dispensatio præcepti quoad substantiam; alioqui & acceptaret,

& pro-

& profiteretur obſervantiam contrariorum, cum acceptet & Clem. & Nicolai, & Pauli IV., Pii IV., Mart. IV., & V. Conſtitutiones, in quibus hæc duo contraria, ſi ad præcepti eſſentiam pertinerent, reperiuntur. De aliis ſtrictioribus Congregationibus noſtris, quæ Nicolaitæ, & Clementinæ Declarationibus in omnibus, & per omnia volunt ſe conformare, aliter ſentiendum eſt, ut alias diximus.

Accedit, quod etiamſi iſthæc proteſtatio vera eſſet quemadmodum Adverſarii volunt, tamen ea deberet intelligi iis reſpectibus, & iis modis, quos in reſponſione ad primum argumentum explicavimus.

Quinimo ex hoc ſecundo argumento mea ſententia adhuc magis firmatur. Nam alia eſt profecto Diſpoſitio Nicol. III., & Clem. V., alia Mart. IV., & V., & Pauli IV., ac Pii IV., ut liquet ex Bulla Innoc. XI., in qua id ſignificatur per illam particulam disjunctivam *ſive*, & per vocem *reſpective*, qua innuitur *diverſe* a variis Congregationibus acceptari, atque in uſu eſſe. Unde ſic arguitur. Licitus eſt Syndicorum uſus *ſive ſecundum præſcriptum Conſtitut. Clem. & Nicolai; ſive ſecundum Diſpoſitiones Mart. IV., & V., & Pauli IV.* Atqui *ſecundum* illas præfatæ *conditiones* præſcribuntur, *ſecundum* iſtas non præſcribuntur; quin etiam præſcribitur aliquid iis *adverſum*. Ergo Syndicorum uſus *ſive* cum illis, *ſive* abſque illis *conditionibus* licitus eſt.

Ad 3. reſp. bipartito. 1. totum argumentum concedi poſſe, ſi intelligatur *de recurſu*, non de *depoſito*, quod fit ante *recurſum*, de quo *depoſito* nos principaliter agimus; & de *conditionibus* 2., & 4., quæ *in recurſu* utcumque locum habere poſſunt, & porro in praxi ſemper habent, ut ſupra pluribus oſtendimus.

2. Etiam intelligendo de *recurſu*, conceſſo antecedente neg. conſeq. Etenim Syndici ſunt equidem veri

P Amici

Amici Spirituales secundum Regulam; non cum omnibus circumstantiis, & modis, quibuscum tractari pecunia potest apud privatos, & vagos Amicos Spirituales, sed sunt veri in eo, quod in Regula essentiale, ac substantiale est, nempe quoad pecuniæ receptionem, retentionem, administrationem, civilem quamcumque tractationem, quoad jus, dominium, proprietatem &c.; & in eo, quod non sunt tertia persona Fratrum, quia nihil ex his exercent jure, nomine, auctoritate Fratrum; sed solius Summi Pontificis domini principalis; cujus sunt Substituti. Hac ratione, & hoc sensu sunt veri Spirituales Amici secundum Regulam, imo purius, & perfectius secundum illam, propter eas rationes, quas in Historia N. XI. allegavimus. Quod autem illæ *modalitates* serventur; vel non serventur, hoc substantialiter non facit ad rationem veri Amici Spiritualis juxta Regulam hoc modo explicati; adeoque sive observentur, sive non observentur, verus quisquis hujusmodi Amicus est. Cumque omnes illæ *modalitates* cum Syndicis observari non possint; quæ cum Amicis Spiritualibus vagis observari possunt, fit, ut ratio veri Amici Spiritualis juxta Regulam habeatur, & cum illis, & sine illis.

Ad 4. resp. multifariam: 1. falsum esse quod de omnibus nostris Constitutionibus asseritur, ut diximus Suppos. XV.; & patet ex Segobiensibus pag. 176.

2. In Statutis, seu Constitutionibus hujusmodi non fore exigendam omnimodam doctrinæ exactitudinem, ac præcisionem, quæ in re tractata methodice requiritur, & habetur. Etenim non semel nonnulli viri docti ex nostris conquesti sunt, in Statutis multa esse, quæ emendatione indigeant; proindeque affirmaverint eorum reformationem esse valde necessariam:

3. Omnes Constitutiones nostras, quæ eas duas principales *conditiones*, 2. nempe & 4. expressas habent; in-

intelligi de *puriori*, *pleniori*, ac *securiori* regulæ; & præcepti observatione; sicut in responsione 3. ad 1. diximus. Nam eæ præsertim *conditiones* a Capitulis nostris cautæ sunt, ut Clem.; & Nicolai Declarationibus se principaliter confirmando, rudibus præsertim; & incautis omnes transgressionum occasiones amputarent; ut affectionibus omnibus in judicandis necessitatibus aditum præcluderent; ut non solum malum; sed etiam mali speciem, auferrent; ut scandala omnia; quoad fieri potest; impedirent; ut denique præcipue a Fratribus intra permissæ necessitatis limites coercitis superflua omnia facilius exterminarent.

4. Ad Constitutiones specialiter Sambucanas quod attinet, unde ea loca objecta desumta sunt, primo resp. eas *nullam obtinere auctoritatem*, uti Suppos. XV. ex testimonio P. Caroli Mariæ Perusini Procuratoris Generalis admonuimus; quo nihil ad solutionem validius dici potest; etiamsi præsens quæstio ex his Statutis dirimenda esset, contra quam ibidem determinavimus. Quod si id de his, quæ manibus tenentur, verum est, nescio quænam alia Statuta *obtineant auctoritatem*: Sed tamen etiam in horum solutione persistendo.

Ad illa verba præsertim: *qui aliter pecuniam habuerit*, *vel expenderit*, *in pœnas Proprietariorum incidat*; quibus argumenti robur magnopere augeri videtur; 2. resp., quod hæc verba non ad omnia, & singula in hoc Statuto ordinata, quæ ad præceptum pecuniæ utcumque pertinent, sed solum ad ea, quæ ad Voti, ac præcepti substantiam spectant, referenda sunt. Quod ut, non ex arbitrio, & ad fugiendam difficultatem, sed ex ratione dictum cognoscatur, quæ in ea Constitutione ordinantur, distinguere oportet. Hæc autem sunt omnino quinque. 1. quod non recurratur ad pecuniam; nisi pro *præsenti*, *vel imminenti* necessitate.

2. quod hæc necessitas prius Provinciali manifestetur, ab eoque licentia recurrendi ad pecuniam pro ista necessitate postuletur. 3. quod pecunia reponatur in manu Syndici *tantum*, & per eum expendatur. 4. quod si necessitate urgente Provincialis haberi non possit, habeatur saltem assensus, ac licentia Guardiani. 5. denique quod si antequam pecunia expendatur Provincialis præsto fuerit, is nihilominus pro licentia conveniri debeat. Ex his quinque 2. 3., & 4., seu potius 3. & 4. ad Voti, & præcepti substantiam pertinent, ut liquet ex Suppos. XVI.

Nunc ea verba ad hæc duo tantum ex necessitate referenda sunt, cum constet, in horum transgressione vitium *proprietatis* proprie situm esse. Id quod (omissis aliis exemplis, quæ ex aliis Constitutionibus desumi possent) confirmatur ex his ipsis Sambucanis hoc eodem loco n. 5. *6*. 8. 10. 11. 12., 1*3*. In omnibus namque his locis apponitur *pæna*, aut appellatio *proprietarii*, *proprietatis* pro iis omnibus, & iis in casibus, in quibus contra alterutrum ex prædictis duobus fieri contingat. Vide hæc omnia tu in fonte, & considera, præcipue numero octavo. Quare illa verba: *qui aliter &c.* ad hæc solum duo necessario, inquam, referenda sunt: alioqui foret *proprietarius* etiam qui non manifestaret prius necessitatem Provinciali sive adsit, sive non adsit, sive pecunia recipienda esset ex rogatis &c., sive ex aliunde utcumque provenientibus, atque in Pontificis proprietatem translatis, ut considеranti patet, quia his contraria in hoc Statuto ordinari videntur: quæ tamen certo falsa sunt; tum quod etiam Guardiani potestatem ordinariam habent concedendi licentiam pro *recursu*; tum quod recursus pro hac re ad Provincialem in usu non est; tum denique quod omnis pecunia, absolute parta, tanquam Pontificis, est Syndico consignanda, non solum nullo ha-

bito

bito respectu ad *præsentes*, vel *imminentes* necessitates; sed etiam antecedenter ad notitiam, & licentiam Superioris cujuscumque, & præcipue pecunia ex Prædicatione juxta Bullam Innoc. XI., ut suis locis ostendimus.

Ad Conf., in qua major adhuc vis esse posita videtur, ex Superiori tamen doctrina resp. omissis reliquis omnibus, distinctione minoris. Utrumque in hoc Statuto est a Superioribus præstitum, tanquam aliquid ad præcepti essentialem observationem pertinens, nego min. tanquam aliquid pertinens ad *modalitatem*, ad perfectiorem præcepti observationem inservientem, conc. min. Distinctio patet, ut innuimus, ex Superiori doctrina, & ex tota præsenti Conclusione. Itaque si in hoc Statuto per verba objecta, *judicium* hujusmodi *de necessitate* a Superioribus factum, & *licentia* aliter recurrendi negata est; hoc totum est factum, ut Fratres ab omni transgressionis periculo longe positi ad omnimodam puram Regulæ observantiam inducantur, non ut per hæc essentialis, & gravis obligatio in recurrendo absolute, & simpliciter iis præscribatur, ac imponatur. Ordinationes namque perfectum, & optimum respiciunt. Dico *si judicium factum &c.*, quia hoc etiam negari potest, & *si licentia negata est*; quia supra ostendimus, in hujus negatione *proprietatis* vitium proprie contineri: quod de defectu illius *conditionis* proprie verum esse nequit, ut liquet. Cæterum quod *judicium* hujusmodi, & *licentiæ* negatio in hypothesi ad præcepti substantiam simpliciter non spectet, etiam ex ipsa necessitatis natura, pro ut explicata suis locis est, legitime deduci potest. Nam cum necessitates non sint *strictæ*, sed *moderatæ*, *commodæ*, *honestæ*; ideoque earum *judicium* in praxi pendere possit ex prudentia operantis, ubi non viget vita perfecta communis, uti Suppos. XIIX. traditum est; quomodo pra-

ctice eam *conditionem* pati possint, & quid, ac quantum referat, ut patiantur, jam alibi demonstravimus; ut propterea hujusmodi Superiorum *judicium*, ac *licentia* in nostra hypothesi aut benigne semper haberi censeantur, aut rigorose locum habere non possint.

R. Tandem ad argumentum simul, & confir., ea omnia intelligenda esse de *Recursu* ad pecuniam *stricte* & *proprie* dicto pro ut in Def. V., scilicet de rogata, quæsita &c., & consequenter de posteriori istius *Deposito* apud Syndicum; minime vero de *Recursu* large accepto, nempe de admissione pecuniæ cujuscumque ex Officiis, Missis, Prædicationibus &c., proindeque de istius priori *Deposito* apud Syndicum, priori inquam, ad ipsum *stricte* sumtum *Recursum*, de quo *Deposito* in præsenti quæstione principaliter sermo est; ut evidenter apparet ex verbis ipsis Statuti. Ait enim: *nullus ad pecuniam recurrat, nisi &c.* en prior *recursus*: *& de illius licentia in manus Syndici tantum reponi .... faciat*: en posterius *Depositum* ejusdem talis pecuniæ apud ipsum. Quare etiamsi omnia concedantur, tamen neque contra *Recursum*, neque, & multo minus, contra *Depositum* pro ut in quæstione, proprie faciunt. Non contra *Depositum*, quia constat, hujusmodi semper esse faciendum apud Syndicum nulla habita ratione de *præsentia*, vel *imminentia* necessitatis &c.: non contra *Recursum* ad istud *Depositum*, quia verba Statuti ad solum strictum *Recursum* referuntur, ideoque tanquam odiosa neque ad *Depositum*, neque ad *Recursum* nostrum extendenda sunt.

Ad ultimum resp. generatim, Expositores quoque esse intelligendos, & interpretandos eodem modo, quo supra, non de substantiali, & semper gravi absoluta &c. præcepti observatione, sed de puriori, ac securiori &c., sicuti ex doctrina Cordubæ, Marchantii, & Potestatis superius deduximus. Neque refert, quod etiam

iam

iam hi ipsi tres, cum speciatim loquuntur de ea principali quarta *conditione*, affirment, recursum ad pecuniam etiam ad Syndicum, non nisi ea observata, licere, atque fieri posse. Quippe recte dici potest, non licere, neque fieri posse id, quod quoquo modo significare volumus fieri non debere, ut Legum periti norunt.

Deinde Expositores vel confundunt *Recursum* ad Amicos vagos Spirituales cum *Recursu* ad Syndicum; vel non apte distinguunt *Depositum* a *Recursu*; vel saltem *Depositum* pecuniæ cujusque dominio abdicatæ apud Syndicum a *Deposito* solius pecuniæ rogatæ &c., penes Amicos privatos Spirituales; ideoque quando *Depositum*, *necessitas*, *Recursus* contingant prius, quando posterius, cum alioquin hæc omnia bene distingui debeant: ut apud illos videre licet.

Postremo qui ante Mart. IV., & V. tempora scripserunt, tantum ad præscriptum Nicol. III., & Clem. V. locuti sunt: qui vero post, etiam post Pauli IV., & Pii IV. Dispositiones, ea omnia in horum Pontificum, & aliorum sive communibus, sive peculiaribus ordinationibus, concessionibus, permissionibus, aut in ratione ipsa latentia, non observarunt, non invicem consulerunt, non acrius expenderunt, præcipue quod ad *necessitatis* naturam, & ad illas *conditiones*, & ad id, quod in Bullis continetur iis *adversum*, attinet, quæ a me observata, expensa, collata, eruta sunt, ut ex toto hoc opere liquet: cum præsertim ab illorum nemine, quod sciam, præsens peculiaris quæstio cum omnibus minutis circumstantiis suis tractata fuerit, pro ut a me pertractata ex professo est. Da Expositorem similiter per omnia rem hanc ipsam pertractantem, & tunc aliquid contra me ex hoc loco fortassis elicies. Cæterum cum constet, plures, seu fere omnes illas *modalitates* per Syndicorum institutionem

esse sublatas, quippe in ipsa ordinatis *adversas*; cumque de earum vel multis, vel aliquibus, Expositorum vel multi, vel nonnulli ultro fateantur: cur tamen non omnes, sed tantum aliquas sublatas, cur potius hanc, quam illam, cur præcipue secundam, aut quartam, velint, aut nolint, nisi peculiares cogentes rationes afferant, videre nescimus, iisque propterea consentire nequaquam possumus. Nam sine his rationibus, aut confuse respective hanc rem tractavisse, aut contradictoria tradidisse, aut non se sufficienter explicasse, aut in hoc minus probabiliter docuisse, pace eorum dixerim, censendi sunt. Sed, ut initio dixi, aliquo sano, ac rationabili sensu ex iis, quos attuli, reverenter intelligendi, ac explicandi sunt; quia re vera omnes in substantia concordes sunt, ut ex de Gubernatis pag. 185. vidimus.

Itaque, ut Conclusionem tandem finiamus, omnes *modificationes*, *conditiones*, *arctationes &c.* per Syndicorum institutionem sublatæ sunt: ad essentiam præcepti, aut necessitatis non pertinent: vel non pertinent sub injunctione gravi: vel quæ utcumque pertinent, in praxi cum observatione conjunctæ sunt: uti fuse tota hac secunda Conclusione demonstravimus.

Verum, si cupis, omnia hactenus probata ne quidem vera sunto, sed potius contraria. Etenim his omnibus etiam a me liberaliter datis, an nihilo secius veritate excidat principalis Assertio mea de peculiari *Deposito* apud Syndicum, ex hucusque dictis, & infra peculiarius dicendis agnosces.

CONCLUSIO III.

SIve ubi extat, seu viget vita communis ad formam Tridentini, vel Regulæ, sive ubi non extat, potest F. Minor *ex vi* Regulæ pecuniam apud Syndicum sepa-

ſeparatam peculiari nomine habere ac tenere: ad eam de Superioris licentia recurrere : pro neceſſitatibus iis *conditionibus*, ſeu *arctationibus* ſive affectis : ſive non affectis.

Ne Lector in intelligentia hujus Concluſionis decipiatur, eique etiam quodammodo contradictoria videatur, illius ſenſus diſtinctius, & clarius in anteceſſum explicandus eſt. Dico *clarius*, & *diſtinctius*, quia in calce Concluſ. V. in Editione prima, jam utcumque per ea verba *Porro idcirco* explicatus eſt.

Itaque cum tres univerſim ſint tituli, ſeu radices, ex quibus oriri poteſt vetatio peculii, nempe ex Voto paupertatis, ex Regula, & ex Eccleſiaſtico præcepto, ut initio operis, & in Analyſi diximus; idcirco, ut vis iſtarum radicum oſtenderetur, Concluſio hæc, ſicut & ſequens, cum illa disjunctione *ſive ubi extat &c.* formata eſt : qua disjunctione contendimus hanc vim ſubtilius ſignificare.

Senſus igitur præſentis, & ſequentis Concluſionis eſt, pecuniæ incorporationem non eſſe de eſſentiali forma Voti paupertatis, aut Regulæ, ſicut Concl. I. demonſtravi, ſed Eccleſiaſtici præcepti; ita ut ſi Frater Minor haberet peculium apud Syndicum, etiam ubi extat Vita Communis Tridentini, peccaret equidem *formaliter* contra hoc præceptum, non vero *formaliter* contra Votum, aut Regulam, quia rationes *formales*, & *præciſæ*, ut Schola loquitur, iſtarum trium obligationum diverſæ ſunt, cum una ſine alia ſtare poſſit. Quare ut diſtinguatur vis obligationis *ex Regula*, ſenſus Concl. præcipue cadit ſuper illa prima disjunctionis verba *ſive ubi extat Vita Communis*, ut autem de *facto* aſtruatur licitum peculium, cadit ſuper ſecunda disjunctionis verba *ſive ubi non extat*, quia ſcopus princeps hujuſmodi eſt. Senſu Concluſ. ita patefacto, nullam in ea contradictionem reperiri poſſe jam liquet.

Jam

Jam vero Conclusio per has explicationes expedita quatuor partes habet. 1. quod haberi apud Syndicum possit *Depositum* pecuniæ peculiare, ac separatum (sive *physice*, seu *materialiter*, sive *formaliter*, seu *moraliter*, ut alias explicavi &c.) de Superioris *scitu*, vel *assensu*: 2. quod ad illud de ejusdem licentia recurri possit: 3. quod possit haberi, & ad illud recurri pro suis necessitatibus, observatis iis *conditionibus*, hoc est 2. & 4.: 4. quod haberi possit, & ad illud recurri, etiam non observatis iis *conditionibus*: id est pro necessitatibus *futuris*, seu *occurrentibus*, & *pro tempore*; quod est quando, & quoties *pro tempore occurrent*; & quod hæc quatuor *ex vi Regulæ* fieri possunt, ubi non viget Vita Communis, seu quod contra Regulæ formam non sunt. Prima pars est principalis, & a me in hoc opere principaliter intenta, secunda accessoria, & minus principalis, ut in Analysi admonui. Nam comparate ad Syndicum prius tempore est *Depositum*, secunda *necessitas occurrens*, tertius *Recursus*, ut alibi dixi. Et prima pars *de Deposito* intelligitur præcipue pro ut in Expositione secunda Casus.

Nunc prior hæc Conclus. pars jam evidenter patet ex Suppos. III., & Conclus. I. Etenim pecuniæ *Depositum* apud Syndicum non solum a Pontificibus permittitur, sed etiam *simpliciter*, & *absolute* præscribitur: pecuniæ vero *incorporatio* neque de Regulæ institutione, neque de Pontificia forma Syndici, qua talis, *per se*, & *necessario* est. Quare *ex vi Regulæ* haberi, & teneri potest. Imo hoc posset, etiamsi *incorporatio* de Regulæ, ac Syndici forma esset, quia ubi Vita Communis desideratur, obligatio *incorporationis* non vigeret, ut liquet ex Suppos. VIII., & magis apparebit ex Concl. VII.

Secunda pars quoque patet ex Suppos. XVI. Quonamque culpa contra Regulam in recursu ad pecuniam evi-

evitetur, ea tantum quatuor inibi enumerata requiruntur. Ea vide. Neque ulla mentio, aut ratio *ex vi Regulæ* de Communitate ut supra, an extet, vel non extet, unquam a Regula ipsa, a Pontificibus, a Capitulis ipsis Generalibus, præsertim antiquis, habita fuit, ut ex Historia Seraphica liquet; quia hæc perfecta Vita Communis fortasse neque tempore Regulæ fuit, neque in Ordine unquam fuit.

Hæc historica verba mea improbans Censor cap. 17. ait, me per ea *duo mendacia asserere unum altero majus*; nempe *non esse Vitam Communem de Essentia Regulæ*; *neque satis constare in primordiis Religionis usitatam fuisse*. Ut autem primum improbet, remittit se ad cap. *6. 7. 9.* 10. 13., in quibns asserit, se *aperte* probasse, *a Regula præscriptam esse Vitam Communem inter alia iis verbis cap.* 5. *de mercede vero laboris pro se, & suis Fratribus &c.* Ut autem improbet secundum, affert Capitula duo, scilicet Parisiense. 1329. & Assisiense. 1430. Additque verba Nicolai ff. *Porro* de æquis portionibus *descendentium ad prælium*, *& remanentium ad sarcinas*: quibus, ait, communem vitam præscripsisse.

Verum hæc improbavit, quia utpote nimis generaliter dicta, opinor, non intellexit, vel potius sufficienter non expendit. Distinctius igitur explicata, & melius considerata censuram effugient.

Itaque primum ego hoc loco non loquor de ipso *jure* quoad vitam communem, sed de solo *facto*, ut patet ex verbis meis: unde primum illud ab Adversario improbatum hic ad rem non fecit. Tum loquor de Communitate perfecta ad Tridentini normam, sed potissimum in ea parte, in qua de pecunia disponitur, ut apparet ex præsenti Concl., imo ex toto opere meo. Duo etenim complectitur hujusmodi communis vita, nempe pecuniæ cujusque incorporationem, &

con-

confusionem in eadem capsa, qua singulis de necessariis provideri possit; & omnis suppellectilis repositionem in aliquo commmuni loco, unde singulis res promiscue identidem subministrentur per Officiales pro ut iis fuerit opus, ut patet ex Historia Nu. XIX. &c. Singula nunc expendamus.

Et quidem quod ad pecuniæ incorporationem attinet, illam *per se*, & necessario de Essentia Regulæ non esse, jam Concl. I. evidenter demonstratum est: quare loquendo *de jure* res indubitanter vera est. Præterea, loquendo *de facto*, hujusmodi incorporatio esse sane non potuit, nisi a tempore Martini V., quo tempore Syndici generalius (quamquam ne id quidem fortasse hoc tempore) stabiliti, atque recepti sunt, videlicet post ducentos viginti ab Ordine condito annos. Quocirca nec Pontifices antea viventes, neque Capitula antea celebrata, communitatem quoad hanc primam partem dubio procul invehere potuerunt, cum antea non esset usus nisi Amicorum privatorum, vagorumque spiritualium, penes quos incorporationem hujusmodi esse non posse, tum ex re ipsa, tum ex eadem Concl. I. exploratum est. Postremo aliud est, hoc esse de substantia Regulæ, ab eaque præceptum, aliud hoc fuisse re ipsa in usu, atque observatum; ideoque etiam admisso, incorporationem ad Regulæ essentiam pertinere, & a Pontificibus, atque Capitulis fuisse præceptam, non continuo tamen, licet legitime inferre, olim, ac semper fuisse observatam. Atqui hoc unum est, quod ego dixi, uti ex clarissimis verbis meis liquet.

Porro ex duobus Capitulis ab Adversario allegatis, secundum, nempe Assisiense, illud ipsum est celebratum sub Mart. V. an. 1430., in quo universim Syndicos stabilitos, ac receptos diximus: (anne tibi videtur, Lector, hoc monumentum satis vetustum, ut

ex

ex eo hujusmodi incorporationem *in primordiis Religionis* extitisse, probari authentice possit?) : primum vero, non Parisinum, ut Censor dicit, sed Caturcinum, seu Caturci celebratum, non an. 1329. sed an. 1337., vel 1334., sicuti apud Chronol. Histor. videre licet; hoc, inquam, Capitulum primo loquitur tantum de communitate victus tam quoad cibos, quam quoad locum: tum loquitur *de eleemosynis*, *quæ Conventibus obveniunt*, (hoc est procul dubio in communi, non in particulari;) : denique loqui non potest nisi *de eleemosynis* reponendis apud Amicos Spirituales; tum quod nondum Syndici erant in Ordine universim recepti; tum quod præcipue celebratum est vel sub Joann. XXII., vel paulo post ejus mortem, proindeque post illius Constit. *Ad Conditorem Canonum*, in qua Bullæ Mart. IV. de Syndicis quoad pecuniæ receptionem derogaverat. Apud autem Amicos privatos Spirituales incorporationem hujusmodi locum habere non posse multoties diximus. Consule omnia in fonte in Historia minoritica, & ita esse perspicies.

Ad alterum vero vitæ perfectæ communis caput quod attinet, seu ad repositionem suppellectilis omnis in communi loco &c., an hæc initio Ordinis ita fuerit, ex Regula ipsa, ex Testamento, ex Opusculis Seraphici Patris, quando vero incæperit, ex primis Capitulis colligere possumus. Ut enim nihil dicam de eo, quod jam omnibus notum est, de vestimentis nempe a Regula vetitis multorum Fratrum, qui jam tum in primordiis extabant, quorum vestimentorum communitas tunc certe esse non poterat: ex monumentis prædictis colligitur, observantes Fratres iis primis temporibus una tunica repetiata, vel ut summum duplici cum chorda, femoralibus, & sandaliis tantum contentos nihil amplius habuisse, aut voluisse, vix Breviaria ad usum peculiarem tenuisse, si ex labore non præberentur,

tur,

tur, corporis necessaria ostiatim tantum identidem quæsivisse, res aliquas ad usum simplicem a devotis sibi commodatas, iisdem in morte restituisse, & alia id genus; quæ cum magnam quoad usum paupertatem illorum referant, tum arguant, rerum; seu suppellectilium apothecam; in qua Communitas perfecta nostra continetur, a Conventu penitus exulasse, ne dum in illo extitisse. Et profecto primum Capitulum, in quo hujus Communitatis forma quoad vestes, & libros tantum apparet, est illud ipsum Caturci anno ut plus 1334., nempe centum viginti, & amplius annis ab Ordinis initio celebratum. Quod si deinceps, & præcipue proximis temporibus, ac potissimum post Tridentinum, id plenins ordinatum est: primo hoc non ita, ut opponitur, vetustum est: tum de Superiorum, aut Pontificum potestate, atque ordinatione descendit: tandem neque semper observatur, aut observatum est, cum, ubi vita communis ob rationes Suppos. XX. relatas erigi non potest, rerum licitarum peculiarem usum de Superioris licentia habeamus. Atqui, repeto, hoc unum est, quod ego de antiqua nostri Ordinis communitate, veluti de re *ex facto* dixi, ut ex apertis verbis meis patet.

Tandem illa duo ex Regula *de mercede laboris &c.*, & ex Nicolao III. quid conferunt? nam non de suppellectilium penu; aut pecuniæ incorporatæ communi capsa; quibus duobus perfecta Communitas nostra continetur, sed de adventitia, & accidentaria rerum necessariarum provisione tam pro speciali, quam pro communi, cum opus fuerit, intelliguntur. Quis hoc negat? Sed an isthæc est perfecta tum pecuniæ, tum rerum Communitas, qua de loquitur Tridentinum, unde promiscue de necessariis omnibus Fratres singuli provideantur? Insuper dicit ne Regula *de mercede*, *corporis necessaria recipiant* primo *pro suis Fratribus*;

postea

postea *pro se*; an primo *pro se*, postea *pro suis Fratribus*? Jam alibi hunc locum explicavimus, ostendimusque nihil obesse in eo statu constitutis, ubi necessaria ne dum *commode*, sed ne quidem vel *stricte* a Communitate subministrantur.

Ex his omnibus hactenus dictis, & acriter expensis apparet, quisnam mendacia dixerit, ego, an Adversarius, & an omnia, quæ cap. *6. 7. 9.* 10. 13. ut supra, congessit ad aperte probanda ea duo, quæ in me improbavit, rem juxta optata plane conficiant. Si animo pacatiori, aut benevolentiori mea legisset, non tot, sive potius nihil, opinor, improbasset.

Tertia Conclus. pars, nempe quod pecunia apud Syndicum deponi, & ad eam recurri possit pro necessitatibus, iis *arctationibus* affectis, præcipue pro *præsentibus*, vel *imminentibus* &c., dubitatione carere debet etiam apud rigidiores, cum hoc permittant respectu Amicorum Spiritualium vel ipsæ strictiores Declarationes Nicolai, & Clem., vel omnia ipsa Capitula rigidiora, etiam quæ post Tridentinum celebrata sunt, & passim Expositores, ut omnes norunt, vel nosse possunt.

Et quidem ad Capitula quod spectat, cæteris omissis, id aperte permittitur a Constit. Sambucanis per ea verba n. 8. *qua pœna puniatur qui sine Superioris licentia eleemosynam pecuniariam in manu Syndici tenuerit*; & per ea n. 14. *& de illius licentia in manus Syndici tantum reponi, & ejus interventu expendi faciat*: & *qui aliter pecuniam habuerit, vel expenderit, in pœnas proprietariorum incidat*: quæ omnia exarata dedimus Suppos. XV. Etenim in his ultimis verbis directo sensu, in superioribus vero a *contrario sensu*, ut verbis utar Roderici Tom. 3. Reg. Quæst. pag. 78. art. 8. in materia consimili circa Regulam S. Augustini, *clare* significatur; de Superioris licentia, id quod dicimus, effici posse.

Quam-

Quamquam res ita aprica ſit, Adverſarius nihilominus eam non videt, ideoque nodum tentat in ſcirpo quærere. Ait enim cap. 13. pag. 39. *Sambucana neque dicunt poſſe teneri pecuniam ſeparatam, quæ eſt maxima quæſtio; neque dicunt poſſe teneri per tempus longum*.

Deum immortalem! etiam tam manifeſta oportet probare! Omiſſo hoc ſecundo, tum quod de eo nunc ſermo non eſt, quia utor Sambucanis tantum pro tertia parte Concluſ., hoc eſt pro neceſſitatibus *præſentibus* &c.; tum quod ſi hæ ſint ex iis *imminentibus* vel diu permanentibus, quæ tractum poſtulent temporis, jam exinde conſequi, *poſſe teneri pecuniam* etiam *per tempus longum* perſpicuum eſt. Hoc inquam pro nunc omiſſo, age de primo conſideremus attentius verba, eaque ſimul conferendo ratiocinemur.

Primo igitur, ſi Rodericus ex ſimili locutione, nempe *ſine conſenſu Superioris* aſſeruit, *clare a contrario ſenſu* colligi, quod Monachus aliquid *habere*, *dare*, *poſſidere*, *accipere* (utique peculiariter) *de licentia Superioris* poſſit, exiſtimabam, ex verbis *ſine licentia* etiam me idem de ſeparato peculio aſſerere poſſe.

Deinde. Iſta verba *tenuerit*, *habuerit*, *expenderit*, ſi de pecunia incorporata explicentur, quamnam vim ſignificandi habere poſſint, ſatis non video. Nam ubi habeatur una tantum communis pecuniæ, atque confuſæ capſa, quod de aliquo particulari cum ſermonis proprietate dicatur, quod is *tenet*, *habet*, *expendit*, ſeu *expendi facit* (certe *pro ſe*) pecuniam eo modo exiſtentem, non puto fieri poſſe. Religioſus, qui pecuniam incorporavit, dicere equidem poteſt, ſe in commune ærarium, & in commune beneficium eam contuliſſe, ſed eam *tenere*, *habere*, *expendi facere*, (ſane *pro ſe ipſo*), dicere vere non poteſt; quandoquidem hæ voces *tenere*, *habere*, *expendere*, voces in re ſubjecta *peculiaritatis* ſunt, ut patet..

Præ-

Præterea. An adeo difficiles, aut ſcrupuloſos Superiores Statutorum conditores putabimus, ut exegerint neceſſariam *licentiam* ad hoc, ut apud Syndicum deponatur pecunia ſtatim incorporanda, & ut habeatur, ac teneatur, ſeu ut ſit ita incorporata? quoniam ad id faciendum ad quod quis tenetur, nulla licentia neceſſaria eſt, uti patet; cum præſertim Prædicatores ex Conſtit. Innoc. XI. teneantur, etiam nulla prævia alicujus Superioris notitia, efficere, ut eleemoſyna ſuæ prædicationis recta ad Syndicum transferatur, quo facto, nihil obſtat, quin & ſine ulla alia notitia, aut licentia incorporari poſſit.

Demum quod ſane lepidum eſt. Statutum dicit, qui *reponi*, *expendi facit*, *tenet*, *habet* pecuniam apud Syndicum *ſine licentia*, eſſe proprietarium. Ergo ſi *reponi*, *expendi facere*, *tenere*, *habere* non ſignificat *reponere*, *tenere*, *habere* ſeparatam, ſed incorporatam, qui *ſine licentia deponi facit*, *tenet*, *habet* incorporatam, eſt proprietarius. Ergo qui facit perfectum actum expropriationis, eſt proprietarius. Ergo Fratres conſignando Syndico pecuniam undecumque, & quomodocumque provenientem, juxta Pontificum injunctionem (ſi quidem ea ſupponatur incorporanda), & præcipue Prædicatores id juſſu Innoc. XI. facientes, ſunt proprietarii. Ergo Mart. IV. V. Paulus IV., Pius IV. generaliter, in Syndicorum inſtitutione, Fratribus præſcribentes, Innoc. vero XI. ſpecialiter Prædicatoribus, ut Syndicis pecuniam conſignent, injunxerunt, ut Fratres ſint proprietarii, eoſque fecerunt proprietarios. Iterum dico: & hæc oportet probare?

Ex his itaque manifeſte colligitur, Sambucanum Statutum loqui de *depoſito*, *habitione*, *retentione* pecuniæ ſeparatæ, ſeu in particulari, non incorporatæ, ſeu in communi, ac pro communi; ideoque ex eo ſolo fit exploratum, tale *depoſitum* haberi, & teneri apud Syn-

Q dicum

dicum de Superioris licentia, & ad illud recurri posse pro necessitatibus, iis *arctationibus*, affectis, seu præcipuæ pro *præsentibus*, vel *imminentibus* &c. Quod si necessitates *præsentes*, vel *imminentes* ex iis sint, quæ vel tractum temporis per se annexum habent, vel diu debeant permanere ut exemplo allato Concl. I. explicavimus &c., jam ex Statuto eodem necessario consequitur, posse *depositum* hujusmodi haberi, ac teneri etiam *per longum tempus*, atque pro necessitatibus hoc explicato modo *futuris*. Necessitates vero Fratrum peculiarium hujusmodi *per se* esse posse, ut diu *recurrant*, jam toties insinuavimus.

Quarta tandem Concl. pars, nempe quod hæc omnia fieri possint absolute, & simpliciter etiam pro necessitatibus, iis *arctationibus*, non affectis, & præcipue non *determinatis*, *præsentibus*, vel *imminentibus* &c., sed *futuris*, hoc est *occurrentibus*, *& pro tempore*, patet tum ex Concl. II., in qua omnes *arctationes* sublatæ demonstratæ sunt; tum ex eo, quod necessitates *occurrentes*, antequam *occurrant*, *indeterminatæ*, & *futuræ*, sed cum *occurrunt*, & quoties *occurrunt*, *determinatæ*, & *præsentes* sunt.

Quapropter a primo ad postremum conficitur, quod *sive ubi extat*, *sive ubi non extat vita communis*, ea quatuor in Concl. posita, & modo explicato, a F. Minoribus *ex vi Regulæ* fieri possunt, & licita sunt.

Atque ex hac sola Concl., imo ex sola prima Conclus. parte, præsenti controversiæ, ut perspicis Lector, evidenter satisfactum est: quia controversia primum principaliter de licito pecuniæ separatæ, ac peculiaris *deposito*; tum de licito solum *ex vi Regulæ* intelligenda erat, ut operis initio, & in Analysi commonitum est. Tamen ut penitus exhauriatur, & undequaque hujusmodi *depositum*, ac *recursum* esse licitum demonstretur, ultro progrediendum est.

CON-

CONCLUSIO IV.

SIve ubi extat, ac viget sive ubi non extat Vita communis ad formam ut supra, potest F. Minor idem, ac eodem modo ut supra *ex vi Voti paupertatis*.

Intelligitur etiam hæc Conclusio in omnibus, & per omnia sicuti præcedens, quia etiam ista, ut ostenderetur ratio *formalis*, ac præcisa obligationis ortæ ex paupertatis solo *Voto* ita concepta, & exposita est.

Conclusio autem patet ex Suppos. XVI. Etenim ad vitandum peccatum adversus hujusmodi Votum hæc tria sufficiunt: nempe ut pecuniæ dominium, aut proprietas neque in corde habeatur, neque in opere vere ostendatur: ut ea consumatur in necessariis, non in superfluis &c.: ut habeatur, & consumatur de Superioris licentia: non vero requiritur vita perfecta communis, cum duobus aliis modis, sed præcipue secundo, substantia hujusce Voti servari possit; ut apparet ex Suppos. V.

Quod autem *ex vi* hujus Voti nulla ratio habenda sit earum *conditionum*, seu *arctationum* liquet, quia non ad Votum paupertatis, sed ad solam Minorum Regulam pertinent, ipsiusque solius, ut constat, propriæ sunt.

CONCLUSIO V.

UBi non extat, seu viget vita communis ad formam Tridentini; potest F. Minor idem, & eodem modo ut supra etiam *ex vi ecclesiasticæ ordinationis de Communitate*.

Hoc est non obstante præcepto Ecclesiæ de vita communi.

Hujus Conclusionis veritas ita evidens est, ut super-

vacaneum omnino sit aut rationes, aut Doctores, cætera innumeros, in ejus confirmationem afferre. Nam a Sacr. Congreg., & a pluribus Pontificibus, & præsertim a Clem. VIII., a Bened. XIV. resoluta, atque determinata evidentissime est, ut apparet ex Historia a N. XXIII. cum omnibus adnotationibus usque in finem, ubi omnes determinationes, modificationes super hoc factæ, & conditiones recensentur requisitæ ad hoc, ut peculium, ubi vita communis non viget, aut erigi non potest, aut quousque erigatur, licite, & sine labe haberi, ac teneri possit.

Præterea constat ex Suppos. VI. VII., & VIII. In VI. enim ostendimus, quando, & quomodo subditi vitam perfectam communem acceptare, eique se conformare teneantur, proindeque peculium vel renuntiare, vel illud possint retinere. Ex VII. vero. Nam præceptum de vita communi collectivum simul est, & distributivum, scilicet afficit omnes simul, & singulos, primo autem, ac præcipue Superiores. Finis vero non proprie sumtus pro *fine conditæ legis*, sed *finis*, seu *scopus*, *terminus* præcepti est, ut ex singulorum simul, & omnium pecuniis in unum incorporatis, atque confusis commune ærarium quoddam conflctur, ex eoque omnibus simul, & singulis provideatur. Quomodo ergo obligabitur unus, aut alter re ipsa, seu cum effectu pecuniam in commune conferre, ubi cæteri omnes, vel saltem majori ex parte non conferunt? Ubi etiam neque Superior ipse de facto urget, aut stimulat, aut saltem vult conferri? Ubi etiam aliquando fortasse vult non conferri? Ubi si a Subdito conferatur, postea ei vel nihil, vel admodum parum subministratur? Et quomodo esse poterit ærarium commune, si unius tantum sit, vel alterius, præterea nullius? Ubi igitur de facto communis vita non est introducta, & non viget, neque spes affulget, ut introduci possit,

ac

ac vigeat, proindeque neque Superiores eam urgent, curant, volunt (imo fortasse nolunt, vel Subditos incorporantes in necessariis provisionibus fallunt) sed scientes videntes Subditis peculium (conditionibus requisitis observatis) permittunt, communitatis præceptum a Subditis observari amplius non potest, seu eo hi non tenentur. Quare sicut alii Regulares, ubi hæc communis vita non viget, possunt tenere suam pecuniam vel apud se (hoc est *ex vi Voti paupertatis*) de Superioris licentia, vel in capsa communi, seu apud Depositarium communem separatam pro suis necessitatibus, & peculiari nomine absque transgressione ecclesiastici præcepti; ita & F. Minor apud Syndicum. Et sicut F. Minor, ubi Tridentini vita communis non extat, potest tenere peculium in rebus permissis, ac licitis, seu earum peculiarem usum habere penes se, ita & in pecunia apud Syndicum ex alias dictis, & explicatis.

Constat etiam denique ex Suppos. VIII., nam in ea ostendimus, ubi Tridentinum &c. non est moribus, ac usu receptum, ejus de vita communi præceptum minime obligare.

Quod autem neque *ex vi* hujus *ecclesiastici præcepti* ulla ratio de iis *conditionibus*, seu *arctationibus* habenda sit, ex eo quoque patet, quia non ad hoc *præceptum* Regularibus omnibus commune, sed ad solam F. Min. Regulam noscuntur pertinere.

Porro idcirco in his tribus Conclusionibus hæc separatim, & distinctius de *vi Regulæ*, *Voti paupertatis*, *& ecclesiasticæ* Legis proposui, ac statui, ut omnia ad vivum resecarem, atque ut quanta sit cujusque obligationis vis, quantique, ut supra dixi, limites ostenderem.

Jam vero ex fundamentis Conclusionis bene intellectis, & ad rem applicatis, una cum reliquis, quæ

ſparſim ſuis locis tradita ſunt, ita evaneſcunt omnia, quæ tum ab Adverſario meo, tum ab aliis quibuſcumque peculii impugnatoribus, magnis etiam voluminibus, opponuntur, aut opponi poſſunt, ut ea afferre, & refellere aliud ſit nihil, quam oleum, & operam perdere. Etenim in doctrina vel ſolius Bened. XIV., ne dum res ipſa evidentiſſime determinata, uti diximus, ſed etiam conſequenter omnia, quæ contra peculium ex capite eccleſiaſtici præcepti objectari poſſunt, præoccupata, atque diluta continentur, ut Lector acutus, & doctus omnia acriter conſiderando, & invicem conferendo perſpicere poteſt. Dico *acutus*, & *doctus*, quia imperiti, ac vi ratiocinandi deſtituti, niſi doctioribus aquieſcant, veritatem non aſſequuntur, atque ideo de illorum perſuaſione deſperandum eſt. Tamen ne difficultates effugere velle videamur, primum quæ a Cenſore ipſo contra afferuntur, tum nonnulla graviora, in quibus omnes adverſarii nimium confidunt, paucis, ac ſummatim afferemus. Si enim vellemus minuta omnia confutando perſequi, dies nos, & charta deficeret.

Itaque Cenſor toto cap. 19. pag. 67. probat non licere Fratri Minori vi eccleſiaſtici præcepti peculium habere, ſive adſit Communitas, ſive non. Summa autem totius cap. eſt. Primum ff. *Curioſus quidem*, & ff. *Reſpondet autem* pag. 69. confutat eam rationem, qua in probanda Concluſione uſus ſum, quæ eſt, non teneri unum, aut alterum conferre pecuniam, ſi cæteri non conferant, ex eo, quod hoc pacto ærarium non eſſet commune; & quod finis præcepti eccleſiaſtici eſt, ut illud ita confletur ad hoc ut omnibus ſimul & ſingulis ex eo provideatur. Ait enim, hoc ſecundum eſſe falſum, quia legis a Tridentino latæ finis non eſt iſte, ſed ut Votum paupertatis ſervetur, & dominium omne a Regularibus abdicetur, atque regulæ præcepta obſer-

obſerventur: ex primo vero id conſequi, ut licite a quolibet peccari poſſit, propterea quia alii peccant. Sed ſecundum ex mala intelligentia illius vocis *finis* ortum eſt: putavit enim oppoſitor, me intellexiſſe de proprio, ac rigoroſo *Fine* Legis, ut ſupra dixi, in quo deceptus eſt. Primum vero ſimul cum ratione prima mox afferenda diluetur.

Tum igitur rationibus probat quod propoſuit. Sunt autem quatuor. 1. Tridentini Præceptum de perfecta vita communi eſt collectivum ſimul, & diſtributivum: id quod a me quoque aſſumtum fuit. Igitur ſive multi, ſive omnes illud renuant obſervare, quo caſu omnes peccant, ſive non renuant, unuſquiſque eo tenetur: alioqui quomodo foret etiam diſtributivum? Et id confirmat Voti obedientiæ paritate, in quo ſane nemini ſingulariter licet eſſe in facto non obedientem, quia alii non obedientes ſunt.

2. Si peculiares Fratres non tenentur in commune pecuniam deponere, quando communem vitam cæteri reſpuunt, hoc oritur vel quia novum jus ſuper pecunia aquirunt, vel nullum jus novum aquirunt. Primum autem ab omnibus, & a me ipſo damnatur: ſecundum vero locum habet tam ubi viget, quam ubi non viget vita communis, ut liquet.

3. Præceptum Eccleſiæ non eſt conditionatum, ſed abſolutum: quare ſive major, aut minor pars conſentiat, ſive non, unuſquiſque eo ſingulariter obſtrictus eſt.

4. Denique Fratres Minores quoad hoc duo habent præcepta; alterum ut ab iis ſervetur vita communis, & hoc tenentur etiam cæteri Regulares; alterum, ut nullum pecuniæ dominium (ſicut & rerum cæterarum) aut uſus ab illis habeatur, cum & res, & pecuniæ in ea obvenientes in Eccleſiæ dominium pertranſeant; & hoc tenentur tantum ipſi, non cæteri Regulares. Qua-

propter etiamsi Minores Fratres non tenerentur primo præcepto, cum alii communitatem rejiciunt, quod falsum est, tenerentur tamen secundo, hoc est tenerentur incorporare pecuniam in Capsa Ecclesiæ. *Hoc enim*, inquit, *est de essentia Regulæ Bullarum, & Statutorum, ut supra ostendimus, & est maxima differentia inter altissimam Minorum paupertatem, & paupertatem aliarum Religionum*. Hæc sunt omnia argumenta, quibus toto cap. 19. probat illicitum peculium Fr. Minor. *vi ecclesiastici præcepti*.

R. primo generatim. Cum hæ rationes, excepta quarta, sint communes, ut consideranti patet, omnibus Regularibus, proindeque militent adversus omnes, rogo Adversarium, ut me doceat, quomodo Bened. XIV., (ut omittam reliquas ecclesiasticas determinationes &c., ut constat ex Historia **N. XXIII.**), his non obstantibus, licitum docuerit peculium, ubi non viget vita communis. An Pontifex eas rationes ignorabat? hoc est, an ignorabat, Tridentini præceptum esse collectivum simul ac distributivum; non conditionatum, sed absolutum; & Fratres nullum jus super pecunia aquirere posse? Qui ergo, non dico permittere, aut super hoc dispensare, sed docere potuit peculium licitum, servatis certis conditionibus, adversantibus his profecto intrinsecis, atque petitis ex ipsamet rei natura momentis? cur non dixit, ubi perfecta omnium rerum communio non viget, ubi introduci non potest, aut quousque introducatur, teneri nihilominus quemlibet, etiamsi cæteri non conferant, pecuniam conferre in capsam communem, incorporandam, & confundendam, atque pro indigentiis communibus erogandam? cur, inquam, docuit oppositum fieri posse? nisi igitur Censor contrarium nos certioribus aliis rationibus doceat, ab illius potius, quam a Pontificis doctrina recedemus.

R. se-

R. secundo pariter universim hæc argumenta nihil contra probare, cum probent quod in quæstione non est. Ut ita esse clare cognoscatur, duo notanda sunt: alterum, Tridentini præceptum esse de communi vita introducenda, ubi non erat, ut patet ex illis verbis *necessarium esse censuit, quo facilius, ac maturius, ubi collapsa est, vetus, & regularis disciplina instauretur..., præcipere*: alterum, hujusmodi vitam ob *plurimas*, quæ *se se objicere* possunt *difficultates*, nihilominus introduci non posse, atque de facto alicubi, & aliquando non introduci ita, ut ea desideretur, ut astruit, ac supponit Pontifex Benedictus. Nunc Adversarius loquitur de communitate *in fieri*, ut Schola loquitur, seu de communitate introducenda, ego vero loquor de illa *in facto esse*, seu de illa jam introducta, vel non introducta, ut liquet ex Conclus. mea: ille iis rationibus utitur ad probandam observantiam Tridentini præcepti *in fieri*, ego utor rationibus Conclus. meæ ad probandam exceptionem, seu non observantiam ejusdem præcepti *in facto esse*: ille, nulla habita ratione de eo, an vita communis introduci possit, & an re ipsa sit introducta, hoc pacto argumentatur. Præceptum Tridentini est collectivum simul ac distributivum; absolutum, non conditionatum &c.: ergo obligat omnes, & singulos, seu quemlibet ad pecuniam incorporandam *de facto*, sive cæteri incorporent, sive non, sive ubi extat, sive ubi non extat vita communis. Ego vero, facta semper suppositione non introductæ, seu *de facto* non extantis vitæ communis, ut liquet ex præsenti Conclus., & ex scopo totius operis mei, argumentor a contrario hoc modo. Præceptum Tridentini utpote collectivum, ac distributivum obligat omnes, & singulos, primo autem, ac præcipue Superiores cum reliquis &c., ut in Conclus. Atqui ubi communis vita *de facto* introducta non est, seu ubi

non

non observatur, omnes pecuniam in commune *de facto* non conferunt, ideoque *de facto* non conflatur ærarium commune, quod conflari debet, unde omnes, & singuli provideantur: ergo ubi hujusmodi vita *de facto* non est, nemo singulariter tenetur pecuniam conferre in commune, seu ut ex ea alii provideantur. Quisnam legitime argumentetur, & ad rem, quæ in manu est, & an Adversarius meus Conclus. meam vel intellexerit, ne dum oppugnaverit, Lector ipse dijudicabit. Nunc resp. peculiariter ad argumenta.

Ad 1. igitur, & 3. resp. in forma sub distinct. Præceptum est collectivum &c., & absolutum &c. *in actu signato*, *in fieri*, *& in suppositione*, quod communitas introduci prudenter possit; concedo: *in actu exercito*, *in facto esse*, *& in suppositione*, quod revera non sit introducta, nego. Distinctio patet ex doctrina data, neque pluribus opus est. Fallacia argumenti in eo continetur, quod variatur *Suppositio*, ac fit *transitus* a re *in fieri* ad rem *in facto esse*: in quo *facto* præceptum evadit *conditionatum*, & non *distributivum* ob id ipsum equidem præcipue, quia afficit singulos, & omnes, proindeque sub conditione quod omnes *de facto* illud impleant pecuniam in commune conferendo.

Ad id, quod addit de Obedientia quis non videt latissimam disparitatem esse? nam obedientiæ actus est tantum personalis, extra personam non transit, & nihil rei extra se, & pro aliis ponit, ideoque est actus absolutus non relativus, utpote qui fit solum in gratiam sui non aliorum: incorporatio vero pecuniæ contra est actus personalis simul, & realis, qui rem ponit extra se, quia est expropriatio, quæ fit in gratiam sui simul, & aliorum, nempe in commodum omnium degentium in communitate, proindeque est actus relativus: unde mirum non est, si quilibet teneatur obedire, etiamsi cæteri non obediant, minime vero pecuniam

niam incorporare, si alii id non faciant. Quomodo etenim fiet commune commodum, si communiter non fiat?

Porro hac responsione solvitur etiam id, quod primo loco pro confutatione ab Adversario illatum est, nempe licite peccari ab unis posse, quia alii peccant. Hoc namque in suppositione communitatis introducendæ ut summum verum esse potest, in suppositione non introductæ, & *de facto* non existentis, non potest, quia in hac suppositione cum præceptum cesset, nemo peccat.

Ad 2. resp. Fallitur Censor laborans falsa suppositione. Nemo enim Regularium sive in communi possidentium, sive non possidentium, particulariter habet, aut aquirit ullum novum jus in pecunia, sive antequam fiat communitas, sive postquam facta est, sive existat, sive non, quia pecuniæ tantum usum semper habet; neque propterea ista ratio est, cur peculium separatum habere possit. Nam ratio est, quia a Conventu in omnibus suis necessitatibus provideri uno, aut alio modo debet, cum id ex naturæ jure, & contractu inter Religiosum, & Religionem inito oriatur, ut per se patet. Quare, cum ubi vita communis non viget, jam supponatur non provideri ex communi pecunia, æquum est, ut ex peculiari provideatur.

Ad 4. resp. primo, si quidem ex carentia dominii, quæ est propria F. Min. præ ceteris Regularibus, consequitur, pro eorum nullo in speciali haberi posse apud Syndicum pecuniam separatam, consequi etiam, quod haberi non possit ne dum pecunia apud eumdem incorporata, seu pro tota Communitate, sed nec rei cujusque cæteroqui licitæ usus peculiaris; quia F. Min. neque in speciali, neque in communi sive pecuniæ, sive alterius rei cujusque ullum dominium habent, sed omnia sub dominio Pontificis sunt. Et jam diximus

ex

ex dominio, vel carentia ejus non oriri, ut peculium licite aut haberi, aut non haberi possit.

R. 2. quod incorporatio in *capsa Ecclesiæ sit de essentia Regulæ Bullarum, Statutorum*, omnia falsa esse, ut Concl. I. & II. evidentissime ostensum est; sicuti quænam, quot, & quantæ sint differentiæ inter paupertatem nostram, & aliarum Religionum Suppos. IV.

R. 3. etiamsi hæc omnia vera essent, adhuc tamen contra nos non urgerent in Suppositione non vigentis vitæ communis, ut pariter alias ostendimus, & infra tandem ostendemus. Ex quibus omnibus apparet, argumenta, quibus Censor confutat *evidentem*, ut ipse pag. 71. vocat, *errorem* meum, ne dum ficulnea, & arundinea, ne dum falsa, sed nec etiam ad propositum esse.

Pro coronide restat, ut communia contra conclusionem argumenta diluamus. Omnia vero ad hoc unum generale tandem reduci possunt. Quod ad substantiam regularis vitæ, seu votorum pertinet, quodque est basis, & fundamentum totius regularis disciplinæ, relaxari, remitti &c. a Superioribus non potest, ut decernit Tridentinum: imo neque ab ipsomet Papa ex Innoc. III. Unde Clem. VIII. Constit. *Nullus omnino*, quam complures alii Pontifices confirmavere, clarius ad Tridentini mentem asseruit, *quod nulla quorumcumque Superiorum licentia quantum ad bona mobilia, vel immobilia Fratres excusare possit, quo minus culpæ, ac pœnæ ab ejusdem Concilii Tridentini decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxii sint; etiamsi Superiores asseverent se ejusmodi dispensationes, seu licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.* Atqui perfecta rerum communio ad Tridentini normam præscripta, ad substantiam regularis vitæ, seu Voti paupertatis pertinet, estque basis, & fundamentum, quoad hoc Votum, totius regularis disciplinæ;

Er-

Ergo *peculium*, seu *depositum* pecuniæ separatum, ac reservatum pro peculiaribus necessitatibus a nemine haberi, & a Superioribus nemini concedi, aut permitti potest. Hoc argumento utuntur Fagnanus, Van Espen, Concina, cæterique acerrimi peculii insectatores. Minor autem ab iis probatur tum auctoritate, tum ratione.

Et quidem quæ ad auctoritatem pertinent, ea desumuntur ex Scriptura, nempe ex Christi verbis de Consilio paupertatis; & sect. 4., quibus forma communis vitæ, quam primi Christiani servabant, continetur: ex Regulis Sanctorum Institutorum Ordinum, præcipue S. August., & S. Bened. ex Tridentino Concilio in quo vita communis inter essentialia reponitur status regularis; aliisque particularibus Synodis: ex plurium Pontificum, & Sacr. Congreg. Decretis, uti videre licet apud laudatos Auctores, aut alios.

Ratione vero. Nam habere *proprium* dubio procul *essentialiter* repugnat Voto paupertatis, ideoque statui ac professioni regulari; habere autem *peculium*, seu *depositum* pecuniæ separatum, atque reservatum pro suis particularibus necessitatibus est vere habere *proprium*. Etenim *proprium*, seu *dominium proprietatis* consistit in hoc, quod possit, & velit quis libere disponere de re aliqua in suum, & proprium commodum, ac usum, & ita aliquid juris in ea re præ reliquis de communitate prætendat, ut consequenter nolit, aut non permittat, eam ad Superioris nutum a se auferri, & alteri de communitate dari. Ita vero contingit in *peculio*, quo de loquimur. Quod ut plenius intelligatur integra Van-Espen circa Monasticam proprietatem doctrina tradenda est. Primum itaquet docet, distinguendas esse *res necessarias* ad usum concessas a *peculiis*, seu pecuniæ *depositis* tanquam ab his valde diversas. Hujus autem diversitatis duas principales, & tres acces-

cessorias, seu inde consequentes differentias assignat: (has commemoro, non quod necesse sit eas peculiariter diluere, ut facile possem, cum jam a me omnia una tantum via ineluctabili in responsione diluenda sint, sed ne eas videar velle prætertire) Prima: quod *necessaria* v. g. Vestes, Libri &c. singulis Fratribus conceduntur *solo intuitu necessitatis*, sive *pro ut cuique opus est*: *deposita vero* pecuniæ, seu *peculia* non reservantur *solo intuitu necessitatis*, sive habito respectu *quid cuique opus sit*, sed pro ut cuique plura intuitu *privatæ personæ*, ex variis causis, seu occasionibus obveniunt: ex quo fit, quod *necessaria* dentur plura, vel pauciora pro ut quisque pluribus, vel paucioribus indiget, *peculiorum* vero, seu *depositorum* magnitudo, non a *necessitate* Fratrum desumatur, sed a causis, aut occasionibus prædictis; proindeque frequenter contingit, ut minus indigens majus habeat *depositum*, & magis indigens minus habeat. Secunda: quod *necessaria* dantur, ut *necessitatibus* præsentibus succurratur, sive ut detur unicuiqne pro ut hic, & nunc circumstantiæ singulorum postulant; *deposita* vero reservantur pro *necessitatibus* Religiosi, tametsi ipse hic, & *nunc non indigeat*, hoc est *futuris*, imo forsan nunquam indigebit: unde fit, ut *peculia* etiam habeant illi, qui iis non indigent, imo moriuntur priusquam illis indigeant: quæ autem ad *necessitatem* conceduntur ita dantur, ut *hic*, *& nunc* pro indigentia Religiosi tanquam *necessaria* requirantur. Præterea docet, facta prius a quolibet Religioso expropriatione cujusque rei, aut pecuniæ undecumque, & quomodocumque obvenientis in manibus Superioris ad hoc, ut in commune respective penu omnia conferantur pro communibus necessitatibus, ut exigit Tridentini præceptum de vita communi; posse subditum per Superiorem habere, & Superiorem subdito concedere hujusmodi *necessaria*, seu illorum usum,

& qui-

& quidem sine vitio *proprietatis*, modo hoc ipsum fiat cum his conditionibus, nempe ut Subditus nihil horum *possideat* tanquam *proprium*, aut *utatur* tanquam *proprio*, seu cum prætensione alicujus particularis juris præ reliquis de communitate, sed cum *plena dependentia* a nutu, ac voluntate Superioris, id est cum animo vere parato, ut ille sibi possit, si velit, hanc vel illam rem ex *necessariis* dare, vel non dare, aut sibi auferre, ac dare alteri de communitate; quod est Subditum habere solum *simplicem* usum *facti*, & quasi *precarium* ipsorum *necessariorum*: *depositum* vero pecuniæ reservatum &c. neque cum his omnibus conditionibus aut a Subdito haberi, aut a Superiore ei concedi, indulgeri, permitti sine culpa *proprietatis* ullatenus posse, sed pro hoc requiri semper veram, atque realem cum effectu expropriationem per repositionem, & incorporationem illius in arca communi, & pro necessitatibus communibus. Quod verbo in substantia nihil est aliud, quam docere, in *rebus* ad usum *necessariis* ut supra, *proprietatis dominium*, seu rationem *proprii* a *simplici usu facti* distingui, ac separari cum effectu posse, in pecunia vero ut supra *deposita*, *proprium* a *simplici facti usu* nec distingui, nec separari cum effectu posse; ideoque ejus *depositum* ut supra habere, esse habere vere, ac realiter *proprium*, quod *essentialiter* Voto paupertatis, ac statui regulari repugnat.

Accedunt plures Sac. Congreg. declarationes, & ordinationes, quibus pecuniæ *depositum* reservatum simpliciter, & absolute habere improbatur; sed solum permittitur, ut ex pecunia singulorum in communi arca reponenda, primum, & principaliter provideantur quidem ii in suis necessitatibus vel statim, vel pro tempore, quorum intuitu pecunia obvenit, at cum conditione, ut si aliquid ex ea supersit, in necessitates communes erogari debeat.

R. Ad

R. Ad primum conc. majori neg. min. cum integra illius probatione tum ab auctoritate, tum a ratione perita; nam omnia, quæ in ea asseruntur, falsa sunt, hoc est falsum est tum ex iis auctoritatibus, tum ex ea ratione legitime inferri, perfectam rerum communionem de Voti paupertatis, ac status regularis *essentia* esse. Etenim hæc tria liquido constant: quod ad Pontificem pertinet interpretari Scripturam, Patres, Concilia &c. horumque decreta intelligere, explicare, modificare &c., cum ipse hæc principaliter condat; quod super paupertatis Voto, statuque regulari Religiosum, eo saltem pro ut tali manente, dispensare non possit, ut ipsimet Adversarii fatentur: quod super vita communi dispensat, indulget, relaxat (quidquid dicatur, nam de *terminis* curandum non est) *peculium* certis servatis conditionibus permittendo, ut ex Historia N. XXIII. plusquam satis est exploratum. Ex his autem hoc res dilemmate invictissime conficitur. Vel Papa potest relaxare vitam communem, vel non potest. Si non potest: igitur illegitime agit relaxando, & sua auctoritate abutendo Regulares fallit, & in statu damnationis videns, ac prudens constituit. Si potest: igitur vel vita communis non est de *essentia* Voti paupertatis, ac status regularis; vel Regulares relaxati a Papa quoad vitam communem, habentesque *peculium*, non sunt amplius veri Regulares; quod est falsum, & ridiculum.

Sed ut constet quod supra diximus, in doctrina nempe solius Bened. XIV. rem ne dum ipsam evidenter determinatam, verum etiam omnia, quæ opponi possunt, præoccupata, atque diluta contineri, præstat, cæteris omissis, illam conceptis verbis iterum afferre; ita enim non nos, sed ipse potius ad objecta respondebit: qua sane responsione nihil aptius, ac certius desiderari potest, cum ipse utpote inter Canonistas facile

prin-

princeps Tridentini mentem, ac intentionem melius quam Vanespenius, aliique cognoscere, & utpote Pontifex legitime, ac authentice interpretari, atque determinare posset. En igitur tota Pontificis hac de re pericope jam in Historia N. XXIII. in calce a nobis exarata.

Hæc omnia, inquit, (pro ut antea fusius dixerat) *non eo consilio afferuntur, ut improbetur studium eorum Episcoporum, qui in Monialium Cœnobia perfectam vitam communem invehere pro viribus conantur: superius enim affirmatum fuit, commendabilem eam esse* (en igitur primo quæ, & quanta sit natura vitæ communis; est ea nimirum tantum *commendabilis*, non *necessaria*, & *essentialis*) *Constitutionum præterea nonnullorum Monasteriorum fuisse præscriptam* (poterit igitur non ipsa etiam natura *Voti*, sed sola humana ordinatione constare), *plurimumque conducere ad paupertatis Votum religiosius custodiendum, & sartam tectamque servandam monasticam disciplinam* (en secundo evidentius determinatum per hæc verba *plurimum conducere*, & *religiosius custodiendum*, vitam communem non esse de *essentia* Voti paupertatis, ac status Monastici) : *quibus insuper addemus, a Sacris Congregationibus pluries insinuatum fuisse Episcopis, ut non alias sinerent Monasteria ingredi; & in iis religiosam professionem emittere præter illas, quæ se communis vitæ instituto religiose custodiendo promptas, paratasque exhibeant, ut videre est apud Fagnanum* in Cap. Monachi nu. *69.* de statu Monachorum (en præoccupatum quidquid vel a Fagnano, Vanespenio, vel ab aliis vel olim, vel recenter afferri contra potest ex Sac. Congreg. decretis; hoc est explicatum quo ista respiciant, & quo sensu intelligenda sint.) *Sed quæ supra diximus; ad hoc exposita fuerunt, ut priusquam manus operi admoveatur; res diligenter pertentetur:*) hic incipit prudentia consilii a Pontifice injecti

in introducenda vita communi) *In primis annuus census supputetur, ut compertum fiat, an necessariis omnibus ejusdem expensis sufficiat*: (hæc ordinarie est principalis ratio, aut causa, cur in bene multis Conventibus communitas non introducatur, vel introduci non possit, defectus nempe censuum, aut eleemosynarum sufficientium ad omnia necessaria): *deinde ne minis, atque terroribus, sed hortationibus, & Spiritualibus exercitiis revocentur moniales ad exoptatam collapsæ disciplinæ instaurationem* (hoc ad humanitatem pertinet): *audiantur prius omnes, & singulæ, non quasi ipsarum in id colligantur suffragia, vel consensus exquiratur* (non enim res hujusmodi a singulorum suffragio, aut consensione absolute, & simpliciter pendet, sed a superiorum auctoritate, & injunctione), *sed ut earumdem exploretur animus, & deprehendatur, an & quæ hujusmodi reformationi libenter aquiescant, aut contra obluctentur*, (hoc quoque ad quietem, ac tranquillitatem pertinet), *& quo in numero recenseantur illæ, quæ ætate, aut auctoritate graviores habentur*. (hoc enim & decet fieri, & expedit maxime). *Id omne colligitur ex pluribus responsis a duabus Congregationibus, nimirum Episcoporum, & Regularium, atque Concilii datis ad postulata Episcoporum, qui ab ipsis consilium, opemque implorarunt, ut propositum, quod meditati fuerant, invehendæ in Monasteria suarum Diæcesium vitæ communis ad optatos exitus possent perducere*. (non semper igitur Sac. Congreg. communitatem absolute invectam voluere.) *Servetur itaque rerum omnium perfecta communio ubi illa viget. Detur opera etiam, ut, ubi non obtinet, introducatur; sed semper præ oculis habeantur quæ plurimæ se se obiiciunt difficultates*. (redit Pontifex ad prudentiam consilii, ex quo patescit, quam sit facile vitam introducere communem, attentis his *plurimis*, non una, aut altera, *difficultatibus*.) *Cumque de opportunis*

tunis adhibendis remediis cogitatum fuerit, si haud temere coniiciatur fore, ut tentatum opus in irritum cedat, vel eo suscepto plus incommodi sit inde pertimescendum, quam sperandum utilitatis, (poteſt igitur contingere, ut, data etiam opera, ut vita communis re ipſa introducatur, tamen ob has, aliaſque rationes de facto introduci non poſſit), *res in aliud tempus protrahatur*. (hoc autem tempus eſſe profecto poterit vel menſium, vel annorum, cum & ſit indefinitum, & ingruere poſſint vel eædem *plurime*, vel etiam majores *difficultates*, quibus etiam fiat, ut prudenter fere nunquam introduci communitas poſſit.) *Interea vero* (hic incipit ſubſtantia rei, qua de agimus, & in hoc ſolo adverbio *interea* cum ſequentibus connexo *peculii* liciti deciſio continetur: hoc eſt *interea* quod introductio communis vitæ *protrahitur*, & conſequenter non exiſtit, quid faciendum eſt?) *in id ſtudium omne, atque induſtria conferatur*, (en quod in caſu magnopere Pontificis cordi eſt,) *ut Monialium ſingulæ in communem arcam Monaſterii pecuniam inferant, quam ex annuis præſtationibus ſibi, poſtquam profeſſionem emiſerunt, conſtitutis recipiunt ſeu quam ſuarum manuum laboribus lucratæ ſunt, atque lucrantur*: (en prima ex conditionibus requiſitis ad habendum *peculium*.) *utque de univerſa peculii ſumma Superioriſſam certiorem faciant*; (2. conditio) *nec ſine præobtento illius conſenſu pecuniis utantur*; (3. conditio: en quod Superior peculium cncedere, & permittere poteſt. Idem prorſus Pontifices, qui de Syndicis noſtris egerunt, pro noſtris requirunt, nempe Superiorum *ſcitum*, & *aſſenſum*, ut ſuis locis vidimus;) *& tunc quidem in cauſas tantummodo honeſtas, & neceſſarias* (hoc eſt non in *ſuperflua*: 4. conditio) *ab eadem Præpoſita approbamdas*: (5. conditio) *eiſque demum efficaciter ſuadeatur, & aperte denuntietur, nullum iis eſſe hujuſmodi peculii dominium, ſed merum uſum*; (*6.* omnium

R 2 *eſſen-*

essentialis conditio. En ergo, quod ne dum in *rebus necessariis* ad usum concessis, verum etiam in pecunia ipsa, seu ejus *deposito* distinguitur, ac separatur *dominium proprietatis* a *simplici facti usu*); *huncque*, *ut superius diximus*, *omnino subjectum Præpositæ arbitrio*, *ac voluntati* (igitur *plena dependentia* a Superioris nutu tam in *rebus necessariis*, quam in *deposito* pecuniæ locum habet, proindeque cum ea in utroque evitatur *proprietatis* vitium) unde liquet male *proprium* a Vanespenio, bene a cæteris communiter definiri:) *ideoque eas semper paratas esse oportere nullis* objectis *impedimentis*, *sed æquo potius libentique animo assentiri*, (ergo ne dum in *rebus necessariis*, sed etiam in *peculio*, seu *deposito* pecuniæ ad evitandam *proprietatis* labem sufficit animus vere paratus ad *assentiendum*), *ut eadem Præposita*, *sic exposcentibus monasterii rationibus*, *in illius sublevandis indigentiis pecunia ab iis deposita utatur*, (non quod de facto utatur, aut teneatur uti pro communibus necessitatibus, seu *indigentiis*, sed quod id faciat, si velit, & si, aut cum *Monasterii rationes sic exposcant*: en ergo *peculium depositum*, ac *separatum* & *physice*, & *moraliter*, vel saltem *Moraliter*, hoc est pro solis *necessitatibus*, & quidem non *præsentibus*, sed simpliciter *futuris*, eorum, qui *peculium* deposuerunt; *peculium*, inquam, licitum cum *scitu*, *assensu* Superioris, cum *plena dependentia* ab ipso, atque *cum animo parato* illud relinquendi ejus dispositioni, quibus propterea *proprietatis* vitium eliminatur, & *simplex facti usus* arcessitur, æque ac in *rebus necessariis* ad usum concessis, ideoque omnes differentiæ a Vanespenio inter *res necessarias*, & *peculium* assignatæ, non efficiunt, ut religiosi eas habentes, ac utentes minime, habentes vero istud, ac utentes, vere *proprium* habere dicantur repugnans Voto paupertatis. *Hæ omnes conditiones*, pergit Pontifex, *recensentur ab Auctoribus*, *qui hac de re tractarunt*, *eorum*

rum

rumque dicta collecta leguntur in Tractatu de Vita communi *Romæ impresso an. 1695.* (unde hic veluti ab eo approbatur.) *De illis & nos verba fecimus in nostro Opere* de Canoniz. S. 5, Lib. 3. cap. 41. n. 12. (ubi nempe ostendit, non obstare *peculium* alicujus Regularis Canonizationi; tantum abest, ut sit peccatum damnans Regulares.) *Cumque deinde aliquis nimia severitate eas in suis Operibus oppugnaverit*, (quis est iste *aliquis*; vel potius *aliqui* nimium *severi*? Sunt Fagnanus, Van espen, Concina, aliique consimiles, *severioris* phantasiæ; non eo, quod zelant, ac defendunt quod sanctum, quod perfectum est, sed quod damnant tanquam certo illicitum quod licitum est, ideoque omnes *peculium* habentes tartareis flammis devotos absolute volunt Regulares), *quædam typis traditæ fuerunt responsiones, anonyma altera Veronæ cusa, altera Patris Milante ex Dominicana Familia, in quibus præmissorum omnium æquitas* (*æquæ* igitur prædictæ *peculii* conditiones, adeoque *æquum* ac *licitum* cum iis *peculium*) *validis rationibus asseritur, & propugnatur*.

Habes igitur Lector non me, sed inter alios Pontificem ipsum Bened. XIV. ne dum per *peculii* concessionem vitam communem *relaxantem*, verum etiam ad omnia objecta respondentem, eaque in nihilum redigentem, ut propterea in ejus conspectu omnes *peculii* oppugnatores ne quidem audiri amplius mereantur.

Sed quomodò vita communis non *ad substantiam vitæ regularis* pertinet, & *relaxari* a Superioribus potest, si a Tridentino ponitur inter ea, quæ *ab eis relaxari* non possunt?

R. 1. quod etiamsi verum esset, loquendo de humano, seu Ecclesiastico præcepto, quod Superiores *relaxare* illud non possent, tamen *relaxaret* Papa concedendo, ut cum illorum *scitu, assensu*, ac ab eis *dependentia* peculium habeatur, uti supra demonstratum

est. Non enim de voce, ac modo curare debemus, si rem teneamus.

R. 2. In Tridentini Drecreto comprehenduntur omnia, quæ a Regularibus, ut *Monasteria pie instituantur, & recte administrentur* observari oportet, ut ex ejus tenore initio cap. 1. liquet Hæc autem multa, ac diversi generis, & obligationis sunt, ut per se quoque patet. Quare *principalia*, & *essentialia*, quæ ut ita loquar, sunt *juris divini*, ab *accessoriis*, & *accidentalibus*, quæ sunt *juris humani*, diligenter secernenda, & unumquodque quo referri debet referendum. Primi generis sunt vota tum communia, tum *peculiaria*, & *præcepta ad eorum respective essentiam pertinentia*, ut ait Tridentinum: secundi generis sunt præcepta, ac statuta, quæ spectant ad victum, vestitum, cæterasque praxes, & officia totius regularis disciplinæ. Nunc vita communis præceptum hujusmodi secundi generis est, uti colligi potest ex verbis prædictis, quibus secernuntur *essentialia*, ac præcipiuntur *in primis* observanda, tum iis connectuntur reliqua per eam conjunctionem *nec non ad communem vitam* unde cum affirmat Concilium, *ea non posse relaxari, quæ ad substantiam vitæ regularis pertinent, quæque bases, & fundamenta* (nota) *sunt*, intelligitur de iis, quæ sunt primi generis, non secundi, adeoque non de vita communi.

Quæ igitur Superior *relaxare* potest, vel non potest? & quo sensu verificantur, atque salvantur verba Concilii?

Primo nequit *relaxare* neque in omnibus *essentialibus* votorum sive communium, sive *pecularium*, aut *præceptorum* ad ea *respective* essentialiter pertinentium, ut supra diximus; neque simpliciter & universim a statu, ac disciplina regulari, ver. gr. a vestitu, a Choro, a victu in communi loco, cæterisque communibus actibus &c.

Secun-

Secundo, quod spectat ad paupertatis votum, *relaxare* non potest, ut quisquam aliquid *possideat tanquam proprium*, aut *utatur tanquam proprio*; in hoc enim per se, & principaliter repugnantia cum voti essentia consistit: ut quisquam habeat suo regulari statui vera *superflua* sive immobilia, sive mobilia; de quibus loquitur etiam Sac. Congreg., dum asserit, nullam licentiam Superiorum suffragari posse, ad hoc ut pœna, & culpa evitetur, neque eis in hoc ullam esse fidem adhibendam: ut denique quisquam habeat *peculium*, seu pecuniæ *depositum* reservatum supposita communitate, hoc est, ubi ea de facto est introducta, ac viget. Ita enim Superior Concilii præceptum tam magnum, tamque inculcatum vigens, ac virens *relaxaret*, quod procul dubio non potest.

Ad 2. argumentum desumptum ex Decretis earum Congreg. resp. id verum esse. Sed quoniam constat, & alia Decreta ab iisdem emanasse, in quibus *peculium* sine ea restrictione, sed cum amplioribus conditionibus permittitur, & præcipue Pontifices ipsos absque illa arctatione, sed simpliciter, & absolute concedere, ut ex Historia N. XXIII. est manifestum, idcirco nihil contra nos ex eo loco exculpi potest, quia inde infertur, *peculium* & uno, & altero modo licite haberi posse.

Quapropter ut denique concludamus quod in hac Concl. V. exposuimus, ubi vita communis non viget, potest F. Minor habere *peculium* etiam ex *vi ecclesiasticæ ordinationis de Communitate*.

CONCLUSIO VI.

UBi servatur vita communis ad formam Regulæ, & Tridentini non potest absolute F. minor pecuniam apud Syndicum separatam, & peculiari nomi-

ne habere, ac tenere, neque ad illam recurrere pro necessitatibus, illis *conditionibus*, seu *arctationibus* sive non affectis, sive etiam affectis; neque superior ad id ei licentiam concedere potest.

Dico non potest *absolute*, non præcise *ex vi Regulæ*, aut *voti paupertatis*; cum hinc posse Concl. III. & IV. probatum sit, sed *ex vi ecclesiasticæ ordinationis*.

Patet ex Tridentino, & Pontificibus pro ut in Historia N. XVI. &c. Etenim præcipitur omnibus, & singulis, ut pecunia quæcumque, & quomodocumque parta Superiori tradatur, atque cum pecunia communi incorporetur, & confundatur, ex eaque omnibus, & singulis in commune in necessitatibus provideatur: unde contra hoc præceptum, in hypothesi quod vigeat, neque a Superioribus, neque a subditis fieri potest, ne dum apud Fratres Minores verum etiam apud alios Regulares, cum cesset ratio provisionis in particulari, ob quam *peculium* permittitur, ut ostensum est.

At dicet Adversarius. Non poterit igitur Superior, ubi etiam extat vita communis permittere Subdito juxta Regulam, ut pro aliqua necessitate ad Amicum spiritualem recurrere pro pecunia possit?

R. Poterit, si pro eo tunc ea necessitas e communi penu subministrari non possit; & dummodo ea pecunia procurata stet apud Dantem, vel ejus particularem substitutum, adeoque sub dominio illius; non vero si apud Syndicum cum abdicatione dominii deponenda sit. Ratio primi, quia *superflue* recurreretur, cum *commode* e communi Capsa illa necessitas haberi posset. Ratio secundi, quia cum ea ratione pecunia Monasterio obveniat, seu Syndico pro Monasterio, Tridentini præcepto ei tradenda, & incorporanda est: unde nec subditus, nec Superior aliter facere in suppositione communis vitæ vigentis potest.

CON-

CONCLUSIO VII.

UBI non eſtat vita communis poteſt F. minor de Superioris licentia *moderatum peculium*, ſeu pecuniæ *depoſitum* apud Syndicum ſimpliciter, & abſolute habere, ac tenere pro ſuis neceſſitatibus *occurentibus*, & *pro tempore*; & ad illud, cum neceſſitates *occurrunt*, pro tempore recurrere.

Intelligitur Concluſio, ſervatis conditionibus a Pontificibus in *peculii* conceſſione præſcriptis, quæ jam ſupponuntur: Iſta autem eſt Concluſio principalis, in qua totius præſentis controverſiæ ſumma, ac reſolutio tam quoad *Depoſitum* pecuniæ, quam quoad *Recurſum* ad illud adhuc diſtinctius, & clarius continetur præcipue juxta formam ſecundi Caſus ante Analyſim expoſiti..

Duas partes habet: prima eſt de ipſo *peculio*, ſeu *depoſito*, ſecunda de *recurſu*. Ea ab ipſa diverſa, neque ab iſta pendet, quia *depoſitum* fit, ac debet fieri etiam ante *recurſum*, ac manet, vel manere poteſt, aut debet etiam nullo facto *recurſu*, ut pluries explicavimus.

Dicitur autem *ſimpliciter*, & *abſolute* ad ſignificandum, quod *depoſitum* hujuſmodi haberi poteſt *generaliter*, præſcindendo nunc ab omni titulo ex iis tribus, quibus aut permiſſum, aut prohibitum eſſe poſſet, ut diſtincte Concl. III. IV., & V. deduximus; & præſcindendo a natura *neceſſitatum* in eo, an ſint, nec ne, *præſentes*, aut *imminentes*, aut ſimpliciter *futuræ*: *ſtrictæ*, ac *accommodæ*: num, quod ſunt tales, ad præcepti ſubſtantiam pertineat; ad obligationem gravem, vel levem; numque in praxi id ſemper contingat: quæ omnes ſuppoſitiones ſunt, juxta quas controverſia diverſimode, ut alias indicavimus, reſolvi poteſt. Etenim iſta Concluſio intelligitur, inquam,

ac

ac procedit generatim, datis etiam liberaliter omnibus strictis, ac nostram sententiam magis prementibus suppositionibus, ut mox ex ejus universali probatione apparebit:

Ostenditur itaque evidenter. Tum naturæ jure, tum contractu inter Religiosum, ac Religionem per professionem inito, tum Ecclesiæ, tum etiam Regulæ ipsius præcepto Fratres Minores (ut alios nunc omittamus) provideri debent in suis necessitatibus *occurrentibus*, *pro tempore*. Ergo vel ex pecunia communi (modo enim loquimur de provisionibus per pecuniam) seu *deposita*, ac *retenta* apud Syndicum in comuuni, & pro communi, vel ex pecunia peculiari, hoc est *deposita*, *retenta*, & *signata* apud eumdem in particulari, ac pro particulari. Nam profecto & pecuniæ cujusque traditio, ac incorporatio in arca communi Conventus a Tridentino pro omnibus universim Regularibus præcepta est; & consignatio, ac depositio apud Syndicum a Pontificibus eumdem instituentibus specialiter pro Minoribus Fratribus ordinata, ut ex communi illo penu Fratres singuli in omnibus necessitatibus *occurrentibus*, ac *pro tempore* providerentur. Atqui ubi non viget perfecta rerum communio Fratres Minores non providentur in omnibus necessitatibus *occurrentibus* ex pecunia deposita, ac retenta apud Syndicum in communi, ac pro communi ex hypothesi. Ergo provideri possunt, ac debent in iis necessitatibus *occurrentibus*, pro quibus deficit communis, ex pecunia speciali, seu deposita, retenta, ac signata saltem in speciali, & pro speciali. Hoc autem nihil est aliud, quam *peculium*, seu pecuniæ *depositum* separatum, ac reservatum habere, ac tenere. Ubi igitur de facto desideratur perfecta vita communis, pecuniæ *depositum* separatum, ac pro se apud Syndicum signatum pro *occurrentibus* necessitatibus & a Subditis *simpliciter*, & *absolute* haberi, ac te-

teneri, & a Superioribus permitti potest. Pergamus.

Atqui necessitates *occurrentes*, antequam *occurrant*, determinatæ esse non possunt, consequenter *per se* sunt indeterminatæ ac indifferentes ad differentias temporis vel *præsentis*, vel *imminentis*, vel simpliciter *futuri*: implicat enim esse posse semper *præsens*, aut *imminens* id, quod est *occurrens*, seu potest *occurrere*, antequam reipsa *occurrat*, cum solum fiat *præsens* cum *occurrit*, & quoties *occurrit*, ut alias vidimus. Ergo pecuniæ *depositum* haberi, ac teneri potest pro necessitatibus sive *præsentibus*, sive *imminentibus*, sive *futuris*, verbo etiam pro simpliciter, & absolute *futuris*. Ergo & *recursus* ad illud, cum necessitates *occurrunt*, & quoties *occurrunt*, fieri potest: etenim *depositum* pro necessitatibus non fit nisi propter *recursum* ad illas, quando *occurrunt*, ut ex ipsis verbis liquet. Eodem prorsus pacto, quo apud Syndicum tenetur *Depositum* pecuniæ pro Conventu in necessitates tum *præsentes tum imminentes*, tum *futuras*, utpote in *occurrentes*, & ad illud a Superiore fit *recursus* cum *recurrunt*, & quoties *recurrunt*: cum quoad *recursum* ad Syndicum par sit Superiorum, ac subditorum, de illorum *scitu*, aut *assensu* conditio ex Suppos. II.

Quocirca sicuti alii Regulares, non obstante voto, propriis Regulis, aut Constitutionibus præscribentibus vitam communem, imo non obstante Tridentini præcepto, *peculium*, ubi ea vita de facto non viget, præsertim apud communem Depositarium, sine labe habere simpliciter, & absolute possunt pro suis necessitatibus, & ad illud recurrere, seu illo uti, quoties necessitas *occurrit*, ut ex indubitatis Pontificum concessionibus vidimus; & utrumque a Superioribus permitti potest: ita & nos apud Syndicum utrumque, iisdem præceptionibus, aut aliis respective non obstantibus, possumus, utique tam illi, quam nos ob rationem

in

in Conclusione allatam; cum quidquid quoad hoc aliis Regularibus per se licet, nobis liceat per Syndicum ex Corol. Suppos. IV.

Imo sicut nos ipsi, ubi res necessariæ e communi penu non subministrantur, vel quæ non subministrantur, possumus apud nos eas ad usum habere, ac tenere diu, ac per totam vitam, idque Superiores concedere possunt, ac solent ex Supp. XIX., ita & pecuniam apud Syndicum; nam inter res necessarias, ac pecuniam nulla alia differentia est, quam quod earum usus etiam per nos ipsos, istius vero non nisi per Amicos privatos spirituales, aut per Syndicum haberi potest: quod est autem ad perfectam rerum communionem, tam quoad res necessarias, quam quoad pecuniam, ut ea in communi penu exequatur, a Tridentino, a Pontificibus, a Regulis, a Constitutionibus (in suppositione quod præscribatur) præscribitur. Quapropter sicuti ubi de facto non viget communis vita, seu ubi Tridentinum ipsum moribus receptum non est, re ipsa non obligat ejus adeo generale licet, ac grave præceptum, sed *peculium*, servatis præscriptis, conditionibus, haberi potest, ex Suppos. VII: ita non obligat aliud quodcumque ex alio capite proveniens, etiamsi re vera extet, sed omne cessat ob rationes assignatas.

Quod si Conclusio vera simpliciter, & absolute est etiam cum omnibus suppositionibus contra factis, & ut supra abundanter, ac liberaliter datis, multo magis erit vera sine illis, & contra illas: unde ita, probationem conclusionis ultra diducendo, subsumere licet.

Atqui (quod spectat ad *Depositum*) pecuniæ incorporatio neque de Voti paupertatis essentia, neque de Regula, neque de Syndicorum Pontificia institutione *per se & necessario* est ex Suppos. V, & Concl. I; sed solum de conciliari Tridentini præcepto, aut alio

pure

pure pontificio ex Suppoſ. VI. Ubi igitur hoc præceptum non tenet, pecunia excorporata haberi licite poteſt. Non tenet autem ubi de facto *uſu*, ac *Moribus* receptum non eſt, ex Suppoſ. VII; ſeu ubi perfecta vita communis de facto non eſt introducta, & non viget. Ergo ubi hæc re ipſa non extat, pecuniæ *Depoſitum* ſeparatum, ac reſervatum a Fratribus Minoribus apud Syndicum abſolute teneri, & concedi a Superioribus poteſt.

Quod ſpectat ad *neceſſitates* pro *recurſu*. Atqui neceſſitates, pro quibus recurri poteſt, nulla ex *arctationibus* a Nicolao, & Clem. in ſuis Decretalibus, aut alibi ullo modo præſcriptis, amplius affectæ ſunt, quia omnes *conditiones*, & *arctationes* ex Concl. II. jam ſublatæ ſunt: inſuper ſive attenta natura Voti paupertatis, ſive Regulæ noſtræ, ſive attentis ſpecialibus ejuſdem Regulæ pontificiis Declarationibus, ſive communibus eccleſiaſticis, ac papalibus ordinationibus, non omnino *ſtrictæ*, atque *arctæ*, ſed *competentes*, & *accomodæ* ſunt, pendentque etiam ex prudentia Operantis. Ergo multo magis verificatur, quod ſint *occurrentes*, ſeu poſſint *occurrere*; ideoque quod in praxi fere ſemper vel *præſentes*, vel *imminentes* habeantur. Pro neceſſitatibus autem *occurrentibus* pecuniæ *Depoſitum* apud Syndicum teneri, & ad illud, cum *occurrunt*, *Recurſus* fieri poteſt. Igitur a primo ad poſtremum, ubi vita perfecta communis non extat, pecuniæ *Depoſitum* ſeparatum, & ſive *phyſice*, ſive *moraliter* excorporatum, ſeu ſpecialiter ſignatum apud Syndicum de Superioris *ſcitu*, *aſſenſu*, *licentia* Frater Minor pro ſuis neceſſitatibus *competentibus*, *honeſtis*, & *accommodis*, tam *præſentibus*, aut *imminentibu.*, quam ſimpliciter *futuris*, ſeu tam *pro præſenti*, quam *pro futuro* abſolute habere, ac tenere poteſt; & ad illud, cum neceſſitates ejuſmodi *occurrunt*, & quoties *occurrunt*, recurrere quoque poteſt.

Nunc

Nunc ex hac generali Conclusione liquere potest, quæstionem nostram esse tandem posse de pura voce, at in substantia omnes debere in ejus resolutione convenire, uti in calce Analyseos indicavimus, cum necessitates *occurrentes* sint *per se* & *futuræ*, antequam *occurrant*, & semper *præsentes*, cum *occurrunt*, ut patet: & a me fuisse ex quacumque parte absolute determinatam.

Porro contra hanc universalem Conclusionem ita deductam, suppositis præsertim omnibus hactenus jam tractatis, & occupatis, nihil speciale est quod objectari possit, ut consideranti patescet.

CONCLUSIO. VIII.

UT Frater Minor pecuniam tenere ut supra licite possit, tam *ex vi Regulæ*; quam *Voti paupertatis*, quæcumque Superioris licentia, dummodo *revocabilis*, sufficiens est.

Patet ex Defin. 16. 17. 18., & Suppos. XII. Nam cujusquemodi sit, vera tamen semper, & genuina est, aut esse potest; & ut salvetur *Regula*, ac *paupertatis* Votum Superioris *scitus*, *assensus*, ab eo *dependentia* satis est. Additur autem *modo revocabilis*, quod intelligitur vere, ac realiter, ita ut nihil impediat, quin secus fiat, si ille velit, ob doctrinam Suppos. XXII. Jam vero quid veniat Superioris nomine tam clarum est, ut ulteriori explicatione opus non sit.

CONCLUSIO. IX, ac ultima.

UBi extat consuetudo, seu usus a Superioribus scienter, ac omnino libere permissus, ut singuli ex peculio sibi in necessitatibus provideant, etiam is usus, modo revocabilis, ut Frater Minor pecuniam tene-

tenere ut supra licite possit, tam *ex vi Regulæ*, quam *ex vi Voti paupertatis* sufficiens est.

Patet ex Defin. 18. & Suppos. XXIIII. Nam etiam is usus vera quædam, ac genuina licentia est, quia cum Superioris *scitu*, *assensu* atque ab eo dependentia, quæ ad *Regulæ* præceptum, ac *paupertatis Votum* salvandum requiruntur, compati potest, & in iis continetur; cum absolute sit in Superioris liberrima potestate eum usum vel interrumpere, vel moderari, vel penitus, si velit, abolere.

Atque inde fit, ut sicut plures Regulares usu hujusmodi vel breviori, vel diuturniori *peculium* teneant sine alia licentia apud communem Depositarium in Conventu: & nos ipsi res necessarias apud nos-metipsos, teneamus ut constat ex Suppos. XIX. ita & *peculium* penes Syndicum tenere possimus; quia comparate ad alios Regulares, eo excepto, iis pares sumus ex Corol. Suppos. IV; & apud nostros illa sola differentia est res inter necessarias, & pecuniam.

Quin sicut ex solo usu permisso, sine alia licentia, servari in multis potest, & salvatur Votum obedientiæ, vel alia ordinatio, si qua est, ad illud pertinens; ita & Votum paupertatis, vel alia lex ad illud spectans, quia utriusque obligatio æqualis est ex Suppos. XXII, & XXIII in Animadversione. Quare iterum corruere omnia, quæ Censor affert contra sufficientiam cujuslibet licentiæ cap. 22. manifestum est, ut fusius in eadem Animadversione diximus, cum protestatione tamen, admonitione, & exhortatione inibi factis, quæ omnia hic intendimus replicata.

Porro adiecta est in Conclusione *revocabilis* eodem prorsus sensu in Conclus. proxima explicato, ob doctrinam Suppos. XXII.

Coro-

Corollaria quædam generalia.

COr. 1. Hinc liquet graviſſime falli eos, qui putant idem omnino eſſe tenere pecuniam apud ſe, eaque uti per ſe, vel per alium propria auctoritate ſubſtitutum, & ita conſcientia erronea prorſus vincibili ſe gerunt, ac tenere, & uti per Syndicum modo explicato, ac demonſtrato. Nam tantum hæc duo diſtant inter ſe, quantum tranſgreſſio diſtat Regulæ a pura obſervatione ipſius:

Cor. 2. Quomodo facilis ſit Fratribus obſervantia hujuſce tam capitalis præcepti, maxime in hoc rerum ſtatu, nempe in tanta rerum neceſſariarum ob Conventuum inopiam deficientia, ſicuti Suppoſ. XX expoſuimus; proindeque quam excuſatione, ac venia indigni ſint illud temere transgredientes. Et nos quidem (Deus teſtis eſt) ad hoc principaliter hanc opellam elucubravimus, ut Fratres, qui ſunt, a tam damnabili cæcitate, ac pravitate erueremus, modumque omnibus facilem, ac paratum oſtenderemus, per quem & ſuæ ſaluti, & Ordinis decori, atque conſervationi conſulere poſſent, quemadmodum in altera Præfatione diximus in quo nihil aliud fecimus, quam quod & Clem. VII. fecit, ut in Hiſtoria N. VII. apparet. Faxit idem Deus, ut fruamur optatis.

Cor. 3. Vehementer quoque decipi, ac damnabiliter agere etiam eos, qui pecunia etiam apud Syndicum ſepoſita, non pro neceſſitatibus, utilitatibus, commoditatibus moderatis, & competentibus, ſed pro puris putis vanitatibus, atque ſuperfluitatibus, ad copiam, ad divitias, ad theſaurizationem &c. utuntur, aut in ea jus aliquod, dominium, proprietatem obtendunt: de quibus omnibus potius erubeſcendum, ac ingemiſcendum, quam ultra quidquam peculiariter dicendum eſt.

Cor. 4.

Cor. 4. Non duos (uti asserit Felix Potestas Exam. Confess. Tom. 1. pag. 122. n. 1160.) dulces, sed tres in universum esse licitos, puros, ac tutos pecunia utendi, seu ad ipsam recurrendi modos, ubi perfecta vita communis non viget. Primus per Amicos privatos spirituales, vel quoscumque ab eis substitutos, nomine, & auctoritate eorum. Secundus per Syndicum peculiari modo, ac nomine, ut est demonstratum. Tertius per Syndicum communi nomine, seu ex communi massa, quacum singularis quævis pecunia incorporata, atque confusa est. Primus est licitus, purus, tutus; secundus purior, perfectior; tertius purissimus, & perfectissimus, ut ex tractatis liquet.

5. Denique quid de his propositionibus sentiendum sit, quas tanto strepitu in suo Opere protulit nuperus ille *nimiæ severitatis* Scriptor a Pontifice Bened. XIV. superius indigitatus; nempe omnes claustrales peculio utentes filios perditionis esse, utpote suæ professionis immemores, ac Voti paupertatis violatores: ubi Vita non viget communis, salva conscientia permanere non posse, sed teneri ad vitæ communis Cænobia vel sui, vel etiam alterius, si aditus iis aperiatur, Ordinis se transferre: Superiores gravissime peccare nisi vitam communem jam collapsam re ipsa instaurent: Juvenes in eas Religiones ingredientes, in quibus vita communis desideratur, gravi periculo exponere sese amittendæ æternæ salutis: peccare graviter ne dum Superiores, qui eos recipiunt, sed & eos, qui illis vel consilium, vel auxilium præbent, ut ingrediantur: peccare quoque Parentes, qui non omnem lapidem movent, ut Filii sui a tali ingressu retrahantur: sublata Communitate, Religionem non esse amplius Religionem, nec perfectionis statum, sed confusionis, & damnationis. Nam mihi sat est observare, has propositiones omnes cum iis, quæ Pontifices ipsi maximi & docue-

runt, & egerunt, uti vidimus in Historia, omnino pugnare, atque ideo eos (ut reliquos omnes Prælatos omittam) in eodem peccati, ac damnationis statu primum, ac principaliter involvere: cæteri, num censuram aliquam hæ mereantur, maturius dijudicent.

Ubi ergo vita communis perfecta de facto non viget, sed consuetudo, seu *usus*, ut singuli in pluribus necessitatibus de Superiorum *scitu*, ac *assensu* sibi providere debeant, si sapere Fratres velint, ac suæ saluti consulere, pecuniam omnem quomodocumque obvenientem consignari faciant in manus Syndici; idque Superiori manifestantes, licentiam ab eo saltem semel, atque generalem petant eamdem pecuniam hoc modo tenendi, & ad eam recurrendi, vel, si *usus* ita vere ferat, etiam hoc *usu* ita se gerendi utantur; parati tamen vero animo, ac semper, & ad eam pecuniam Conventui incorporandam, si ipse velit, & cum effectu possit (nempe prudenter, ac stabiliter &c ut in Supp. V.) Communitatem erigere, & ad specialem recurrendi licentiam ab eodem toties postulandam, si hanc exigat ab eis. Tum nil auctoritatis, vel juris aut verbo, aut opere erga talem pecuniam ostendentes, humiliter, ac suppliciter ad Syndicum, quoties fuerit opus, nempe cum iis *occurret*, pro suis quidem *necessitatibus*, *utilitatibus*, *commoditatibus*, sed *moderatis* tamen, sed *competentibus*, sed *honestis* juxta prudens, ac sanum judicium recurrant, non autem pro *superfluitatibus*, sicque a labe contra Votum, Regulam, Ecclesiæ præceptum immunes existent. Atque ut omnes in hoc negotio saltem ita se gererent precor Deum. Hoc enim pacto omnia mala, & scandala, quæ ex personali pecuniæ retentione, atque usu oriuntur, tollerentur; Fratrum conscientiæ sanarentur, qui ob hoc potissimum periclitantur; Regula purius, ac perfectius, quam per Amicos etiam privatos Spirituales servaretur; Ordinis

decor

decor conservaretur, & augeretur; (quæ causæ sunt, iterum dico, cur opus elucubravimus); quodque caput est, sensim via facilis aperiretur erigendi perfectam Communitatem, cujus isthæc specialis pecuniæ apud communem Syndicum depositio, adumbratio quædam, aut inchoatio, seu potius, ut alias diximus, imperfecta Communitas est. Quapropter omnes Confratres meos obsecro in Domino, obtestorque, ut si nolint quod melius est, nempe pecuniam incorporare, ac se divinæ Providentiæ pro necessitatibus semper committere, ad quod pariter exhortor in Domino, velint saltem se ad suæ animæ salutem gerere modo præfato.

Atque hic controversia ipsa universa, quam ex professo tractandam suscepimus, a nobis certo, nisi fallimur, resoluta ad umbilicum perducta est, simulque Censor anoniimus identidem suis peculiariter locis confutatus. Quapropter modo confidimus, ut etiam severioris doctrinæ patroni, qui antea nobis adversabantur, persuasi iis omnibus argumentis, quibus sententia nostra in hoc Opere comprobatur, cognitaque proinde ejusdem certitudine, atque securitate, a præconcepta contraria opinione recedant, nostramque amplectantur, hoc est (non enim id exigitur, ut ad praxim deducant, nam contrarium efficere & perfectius, & tutius est) licitam, ac in praxi tutam esse sine hæsitatione fateantur; nosque propterea a laxitatis, deceptionis, ac perditionis reatu, ac nota non solum immunes deinceps faciant, verum etiam nobis gratias agant, quod Fratrum saluti hoc qualicumque labore nostro consuluerimus, eorumque conscientias, iisdem volentibus, in tuto posuerimus. Ita enim quod ab ipsis fiat, de eorum æquitate, docilitate, atque prudentia sperandum est.

Diximus Censorem fuisse suis peculiariter locis confutatum. Sed quo id a Lectoribus generaliter uno ve-

luti sub aspectu conspici possit, omnium, quæ opponuntur, ac solvuntur, summa paucis proponenda est.

Itaque omissis clamoribus, expostulationibus, criminationibus &c, aliisque obiter ab eodem ex nimio zelo introductis, quæ nihil prosunt ad institutum, aut digna speciali consideratione non sunt, quæ proinde omnino prætermisimus; item omissis variis responsionibus ad mea ab eo datis, quas suis identidem locis, tanquam aperte falsas exagiravimus: totius Libelli summa, quod ad quæstionem principem spectat, ad hæc quatuor universalia oppositionum capita reduci potest.

1. Peculium improbatur per omnes Leges: per Votum; per Regulam; per Pontificias Regulæ Declarationes; per Ecclesiam, hoc est per Tridentinum, ac plures Pontifices; per omnes Ordinis Constitutiones; per omnes Expositores.

2 Improbantur necessitates *largæ*, & *accommodæ*, & solum *strictæ*, & *arctæ* permittuntur.

3. Improbantur necessitates *futuræ*, ac *longi temporis*, & sub quocumque prætextu providentiæ *in futurum*; sed tantum conceduntur *præteritæ*, *præsentes*, vel *imminentes* &c: pro quibus apparet, *peculio* pro ut est in quæstione, locum non esse.

4. Denique primo maxime consequens, me ne dum cum aliqua lege, verum etiam contra omnes leges ideoque adversus manifestam veritatem *peculium* propugnare.

R. generatim primo. Primum, & quartum argumentum dubio procul in ipsiusmet recidant Oppositoris caput necesse est, quippe qui *peculium* contra votum, proprias regulas, aut constitutiones, contra Tridentinum, ac multos Pontifices cæteris Regularibus permittit. Ut igitur hoc in se intortum spiculum declinet, ostendat ipsemet primo legem aliquam, quæ lata licet

uni-

universim; iis attamen justificatis, nos damnet; aut assignet specialem rationem certam, cur nos ab illis in hoc differentes esse debeamus; tunc ejus doctrina ei respondebimus. Nam eas differentias inter nos; aliosque Regulares ab eo in Opere adductas, e quibus colligere nititur *peculium* pro iis licitum, pro nobis illicitum; nihil omnino valere sole clarius est demonstratum.

R. in universum secundo. Omnia hæc sunt extra Chorum. Etenim ubi vita perfecta communis non viget; de quo quæstio procedit; etiamsi vera essent omnia, & obligationem continerent utcumque Adversarius putet; tamen tam pro cæteris Regularibus; quam pro nobis, verbo pro omnibus in hypothesi obligatione cadunt; cum nos etiam suppositis restrictionibus in 2., & 3. capite superius positis quæstionem resolverimus; ut patet præsertim ex Concl. VII.

R. speciatim ad 1. quoad Votum, Regulam; Regulæ Declarationes, Constitutiones, Expositores falsa omnia; uti apparet ex Concl. I.; & II., earumque sensu: quoad Tridentinum; & Pontifices, quomodo *peculium*, & improbatum; & permissum sit; suis est abundantissime locis demonstratum.

Ad 2.; & 3. falsa pariter omnia ex Suppos. XX.; Concl. II.; aliisque locis. Quamquam & his tanquam veris etiam liberaliter datis; nihil attamen contra confici, satis Concl. VII. potissimum ostensum est.

Tandem ad 4. Equidem; ut verum fatear; nondum ego sciebam hanc legem Scriptoribus impositam, ut cum aliquam thesim peculiarem de moribus licitam defenderent, tenerentur Legem aliquam (opinor *claram*; & in *terminis*) allegare. Putabam enim fore satis, si ea ex principiis vel ab Auctoritate; vel a Ratione utcumque desumptis, aut certo, aut probabiliter deduci per discursum denique posset. Si namque aliter sensissem

ſem, hoc eſt ſi hujuſmodi obligationem ſciviſſem, præſentem quæſtionem, ſi pro ea clara lex adduci non poſſet, ceu ſolutu impoſſibilem, ſi vero poſſet, veluti ſuperfluam, neque propoſuiſſem, neque tam fuſe, & acriter pertractaſſem. Cæterum num ſine Lege *peculium* ex capite quolibet defenderim, & quot qualeſque Leges in ejus defenſionem produxerim, dubitare, niſi oculis, ac mente careat, qui meum opus pervolvere velit, nemo poterit.

Ex his igitur omnibus liquido apparet, totum Cenſoris Libellum prorſus evaneſcere, atque in aera abire, ipſum vero Cenſorem ad rem, quæ in quæſtione principaliter eſt, ne quidem aliquid contra protuliſſe.

Et hæc quidem pro hac tantum vice dicta ſunto. Nam ſi vel Adverſarius idem quidquam replicaverit, vel alius quiſpiam de novo ſcripſerit, ego, palam profiteor, certe nihil amplius reſpondebo, ſed veluti ſurdus, ac mutus totum præteribo. (a)

In calce Opuſculi in Editione prima quæſtiunculæ ſexdecim ſequebantur a me tractatæ iis de cauſis, quas in Præfatione ſecunda commemoravi. Has uti *laxas* Cenſor improbavit univerſim omnes, ſed aliis omiſſis, ſpeciatim animadvertit in primam, & duodecimam. Et primam quidem (quæ hic integre afferetur,) ex hoc ſolo confutat, arguendo me adeo apertæ contradictionis, ut aſſerat, per eam a meipſo totum opus meum fuiſſe deſtructum: duodecimam vero cum connexis 13., & 14. ex eo, quod ejus reſolutio innitatur

(a) *Cernis jam ut arbitror, quam inaniter dixeris, quod videaris tibi ad omnia reſpondiſſe, quæ in mea* Diatriba *continentur. Si enim propterea reſpondiſti, quia tacere noluiſti, non quidem ad omnia, ſed tamen reſpondiſti. Si autem ad hoc reſpondiſti, ut ea, quæ a me dicta ſunt, evacuares, video te quidem ad multa reſpondiſſe, ſed nihil te video refelliſſe*. S. Auguſt. contra Creſconium Grammaticum Lib. IV. Cap. 65.

tur comparatione inepta, ac falsa a me instituta inter Fratres habentes, & non habentes *peculium*. Quæstiones autem sunt: *an sanctiores sint Minores depositum habentes, & pecunia utentes, an vero non utentes pecunia, sed ea Conventui incorporantes*: & *an utens pecunia, & moriens cum illa canonizari possit*.

Sed primo quod ad *laxitatem* attinet, cum resolutiones earum quæstiuncularum omnium certis principiis a me in toto Opere jam constitutis, vel aliis aliunde adscitis, innitantur, ex iisque per legitimam consecutionem deducantur, *laxæ* profecto dici non poterunt, nissi aut falsitas demonstretur eorum principiorum, aut falsitas eruitionis ab eis, cum *certa*, seu *certo* licita *laxa* esse non possint, nisi si *laxitas* largiori significatione, ac minus propria sumatur, pro ut scilicet opponitur rei, quæ *sanctior*, *perfectior*, *strictior*, ac *tutior* est. Verumtamen omnia Adversario condonanda sunt. Nam quemadmodum qui habent oculos flava bile imbutos omnia flava conspiciunt, ita qui phantasiam imbutam nimia *severitate* omnia *laxa*, & *criminosa* intuentur, & quod pejus hinc consequens est, cum magna aliorum commiseratione, & contemtione tanquam ex Tripode enuntiant.

Quod autem ad duodecimam cum connexis quæstiunculam pertinet, diligenter eas, quæso, Lector evolvat, atque consideret, & quo præcise comparatio a me referatur, quove sensu, proindeque num ea *inepta* sit, ac *falsa*, nec ne, sine difficultate perspiciet. Præsertim vero consideret, me in ea re decidenda, ad doctrinam potissimum a Bened. XIV. de habenda vel non habenda ratione *peculii* in Sanctorum Regularium Canonizatione traditam, & a me inibi allegatam, respexisse, ex eaque occasionem instituendi eas quæstiunculas sumpsisse, ut nempe ostenderem, *peculium*, quod tantopere improbatur, Canonizationi ipsi non obstare,

ne dum criminosum esse. Unde etsi multa de præceptorum observatione, de virtutibus heroicis, & de Spiritualium defectibus dixi; virosque in his omnibus promiscue inter sese comparavi, tamen ad unum *peculium*, quatenus ejus usus, vel non usus Canonizationi, suppositis jam cæteris omnibus ad eam promovendam requisitis, posset obesse, vel prodesse, digitum principaliter intendi. Hæc comparationis substantia; hic scopus comparationis fuit. Iterum dico, attente Lector eas quæstiones legat, & consideret, & injustam fore adversarii comparationis a me institutæ redargutionem cognoscet. Percurrat quoque reliquas; si lubet, in prima Editione; nam hic, ne magis adhuc opus excrescat, præsertim cum non sint ad rem necessariæ, omittuntur: exceptis prima, ut Censori eam speciatim sugillanti, sicuti superius innui, satisfaciam; & undecima, quæ mihi ad praxim cæteris utilior videtur.

Q. I. An Superiori præcipienti, ut pecunia quomodolibet parta incorporetur Conventui, teneatur ei Subditus obedire, futurus alioquin inobediens, ac proprietarius?

R. Dupliciter. Primo cum distinctione. Si subditus certo, aut probabiliter persuadere sibi potest, Superiorem sibi provisurum in omnibus suis necessitatibus, ut supra, tenetur; secus, non tenetur. Patet per se, & ex dictis, præcipue Suppos. XX. Hæc autem persuasio a Superioris probitate, ac fidelitate, sed præsertim ab experientia ipsa desumenda est. Sæpe enim contingere videmus, ut nonnulli Fratres pecuniam libenter tradant Conventui, inde suas necessitates sperantes, & expectantes, magna præsertim Superioribus interea illis pollicentibus; sed cum ad rem ipsam venitur, aliter omnino est. Nam adeo difficiles, ac morosos in providendo eosdem Superiores inveniunt, ut præter

ver-

verba aspera; ac illiberales actiones, nihil non solum de *utilitatibus*, aut *commoditatibus*, verum etiam de *strictis necessitatibus* prorsus accipiunt. Quodque pejus est, ab eo Conventu, ubi pecuniam tradiderunt, in alium repente translati; neque ab illo, neque ab isto quidquam amplius accipiunt, unde omnia amittentes, injustam quidem, sed veram tamen inviti profiteri paupertatem coguntur.

R. Secundo absolute non teneri. Patet ex Suppos. VI., & VII., & Concl. V., & VII. Ubi etenim vera Communitas non est, neque omnes (nempe vel saltem major pars; ut ibi dictum est) pecuniam in commune conferunt, neque solus unus conferre tenetur: unde a Superiore obligari non potest.

In hujus quæstionis resolutione apertam, ut supra dixi, Adversarius contradictionem se asserit invenire, in eo positam, quod in toto Opere defenderim, *posse Fratrum depositum separatum tenere, dummodo sit de Superioris assensu*, hic vero resolvam, *non teneri incorporare, etiamsi Superior jubeat*.

Sed vide Lector, & mirare contradicendi, & omnia scalpendi pruriginem. Rogo enim. Quisnam est scopus Operis mei? nempe ostendere, *peculium* præsertim ubi perfecta vita communis non viget, neque Regulæ (& quidem hoc est principale), neque paupertatis Voto, neque Ecclesiastico præcepto repugnare, ideoque ex triplici hoc capite, & Subditum illud habere, & Superiorem licentiam, seu *assensum*, ut illud habeat, ei dare posse; & quidem practice, ac de facto. Cum igitur hæc omnia ostenderim licite fieri posse, cumque Superior, ubi non servatur vita communis, hujusmodi *assensum* jam & dare soleat, & per se dare debeat, cum æquum sit, ut concedat; etiamsi foret hic contradictio aliqua circa *assensum*, quænam est contradictio circa principale Operis mei, si hoc loco idem

S 5 sta-

statuitur, seu infertur, quod in toto Opere statutum est, nempe *peculium* haberi *de* facto posse? contradictoria enim de eodem, secundum idem, respectu ejusdem esse debere notum est. Cæterum, ut prætereamin, me quæstionem etiam pro subdito *strictius*, ideoque pro Superiore *largius*, ac *favorabilius* resolvisse, uti ex responsione prima liquet; bene Censor expendat omnia, quæ Suppos. VI., & VII. tradita sunt, eaque cum præsenti resolutione componat, & comperiet, quo sensu ista intelligenda sit. Nam comperiet intelligi de Subdito renuente incorporationem a Superiore præceptam, nempe cum Superior imprudenter, irrationabiliter, ac pro solo arbitrio, ac libidine uni soli incorporationem præciperet, ad eamque vellet cogere, ubi nequidem pars major, minorve communitatem acceptavit, aut acceptat, ubi consequenter prudenter introduci, nedum stabiliri, non potest, ubi unus ille Subditus, peculio ita spoliatus, certus est, se amplius in suis necessitatibus non esse a Superiore providendum; sicque non contradictionem, sed plenam cum iis omnibus, quæ de licito *peculii* usu tam ex parte Subditi quoad tres illas obligationes, quam ex parte Superioris quoad *licentiam*, aut *assensum*, in toto Opere docuimus, concordiam inveniet.

Q. II. Quomodo Frater moriturus cum pecunia apud se expropriari debeat, aut possit?

R. Duplici modo. Primo eam pecuniam Syndico consignando, simulque Conventui incorporando. Secundo illam tantummodo consignando, sed separatam retinendo modo superius explicato, ac probato. Ratio hujus secundi evidens est; quia si pecuniam ita tenere in vita licet, dubio procul etiam in morte licet, ea conditione scilicet, ut in necessitatibus morituri insumatur si convalescat, quo modo tenetur in vita, nisi ostendatur, adesse præceptum, quod pro conscientiæ securi-

curitate ad majorem expropriationem obliget in morte, quam in vita, adeoque expropriationem veram, ac perfectam in vita factam, falsam, & insufficientem in morte esse contra quod mox dicetur.

Accedit quod inter plures conditiones, a Pontificibus præscriptas ad licite habendum *peculium* hæc non invenitur, scilicet, ut F. moriturus ita se gerat: quod cæteri omnes Regulares hoc non faciunt: quod nos ipsi in rebus necessariis ad usum concessis non facimus, ita scilicet, ut morituri, si eis expropriari vere contingat, eæ, ut statim in communi penu reponantur, & ad usum communem, velle teneamur. Et tamen inter res necessarias, & pecuniam quoad hoc non alia differentia est, quam quod eas per nos ipsos, istam vero habere non nisi per Syndicum possumus.

Neque obstat Dispositio Congreg. Generalis *1619.*, aut aliæ Congreg. seu Capitul., quod pecunia hujusmodi tradatur Syndico Provinciæ Provincialis nutu disponenda. Nam ut omnia alia omittam, quæ dici possent, ea Dispositio, & consimiles, defuncto jam Fratre intelligendæ sunt, ut ex expressis verbis liquet.

Ex quo manifeste apparet error, ac inscitia illorum Superiorum, vel Confessariorum, qui ad effectum veræ expropriationis a Fratribus morientibus necessario exigunt, ut pecuniam Syndico tradant Conventui statim incorporandam, quia profecto nimis exigunt. Qui propterea in causa sunt, ut ægre ad hujusmodi expropriationem inducantur, & cum convalescunt, se privatos suis necessitatibus videntes, difficilius instante iterum morte exproprientur, ac ad vomitum rursus facile redeant. Cum pecuniæ proprietas apud Minores duobus contineatur, nempe dominio, jure, possessione, & civili quacumque retentione, administratione, contrectatione, seu usu, ejus propterea expropriatio

 vera,

vera, sufficiens, ac perfecta contrariis duobus, nempe prædicti dominii, ac usus abdicatione procul dubio continetur: utrumque vero omnino haberi per traditionem ejus Syndico secundo modo præfato (supposita semper vera interiori abdicatione, seu renuntiatione) manifestum est. Superiores itaque, & Confessarii exhortentur quidem Fratres infirmos ad eam expropriationem, quæ perfectissima est, in spem, ac fiduciam divinæ providentiæ eos erigendo; sed si hanc vel difficulter faciant, vel omnino facere nolint, nullo modo illam exigant, sed altera contenti sint, quæ utpote vera, sufficiens, pura, tuta neque Fratrum animos angit, neque in salutis discrimen adducit.

RERUM NOTABILIUM INDICULUS.

Numerus indicat paginam.

idem

Auctore absente multa irrepserunt menda; inter quæ sequentia graviora sunt.

	Errata	Corrige
In 2. præf. pag. 2. lin. 10.	purigo	prurigo.
In Monit. ad Lect. pag. 2. lin. 25.	pag. 132.	232.
pag. 3. lin. 13.	pag. 58.	64

pag.	lin.	Errata	Corrige
5.	3.	eumdem	eamdem.
8.	18.	gerendum	gerendam.
17.	8.	Auris	Juris.
	11.	quodnam	quoddam.
22.	32.	asserunt	asseruit.
23.	10.	necessarie	necessario.
26.	31.	sitque	sitque.
28.	8.	indigitare	indigitari.
34.	7.	*Quod*	*Quoad*.
	30.	voluerunt	voluerint.
37.	7.	necessitate	necessitates.
43.	6.	*Lucet*	*Licet*.
	7.	Weding.	Wading.
45.	10.	ac	hac.
48.	35.	neque penes Syndicorum	penes Syndicum.
52.	31.	vel	rei.
54.	21.	hac de	hac de re.
58.	19.	*confingat*	*contingat*.
62.	23.	e si aggiunge	e non si aggiunga.
65.	23.	duobus	duabus.
	24.	nimium	nimirum
67.	21.	Benhoff	Denhoff.
68.	10.	permissione	permistione.
71.	7.	Fratres	Frater.
76.	23.	addicationem	abdicationem.
78.	4.	sit.	hæc vox redundat.
82.	15.	indicatur	judicatur.
	29.	præcipuæ	præcipue.
84.	25.	pro	per.
97.	8.	frustum	fructuum.
	34.	provisionem	provisionum.
130.	12.	nullas	nulla.
	14.	Superioris	Superiori.
141.	24.	eliminatur.	eliminantur.
145.		hic aliquot lineæ repetitæ sunt.	
	21.	amussi	amussi.
	22.	ita	ista.
	23.	etiam hic nonnulla verba replicata sunt.	
	26.	deoque	ideoque.
	30.	& ipsi	si & ipsi
	33.	*probos*, &	*præditos*, sed &,
179.	23.	totum	totam.
184.	32.	nimium	nimirum.
187.	5.	præterea	præterita.
191.	22.	*potius*	*potuit*.
	23.	Et: *Lex*.	hoc verbum conjungendum est cum illis, *si aliud* &c.
194.	13.	*canonica alia* seu	*canonica*, alia, seu
205.	22.	omnibus	ex omnibus
209.	29.	& hæc	quæ
	30.	ordinat	ordinant
211.	7.	præter alia	præter alias.
215.	8.	necessitati	necessitatis
	13.	circumstantiam	circumstantias.
218.	18.	patescet	patefiet
231.	24.	consulerunt	contulerant
235.	30.	fecit	facit
243.	31.	de licito	de licito *Recursu*.
253.	10.	& sect. 4.	& Actuum. 3.
254.	25.	moriuntur	moriantur

66

pag.	lin.	Errata	Corrige
99.	20.	urgat	urgeat.
104.	5.	tum sibi, tum ipsis	tum nobis ipsis.
114.	21.	perpicies	perſpicies.
115.	20.	Ubi	Ibi.
119.	7.	quidem	quidam.
126.	12.	æquipollentiam	æquipollentia.
129.	20.	ſtatuti	ſtaruit.
258.	33.	pateſcit	patefit
259.	18.	Pontificis	Pontifici
	27.	cncedere	concedere
263.	5.	vera	vere
265.	15.	ea ab ipſa	ea ab iſta eſt
	30.	ac	an
	30.	ſunt	ſint
270.	12.	pateſcet	patefiet

Alia plura minutiora utpote quæ a quolibet de facili cognoſci, ac emendari poſſunt, omittuntur.